Ludovicus Ghislenius

AVSTRIACI
CÆSARES
MARIÆ ANNÆ
AVSTRIACÆ
POTENTISSIMÆ
HISPANIARVM
REGINÆ
IN DOTALE AVSPICIVM
EXHIBITI.

Domus S.ᵗᵉ Mariæ Magdalenæ Urbis



Fed. Agnelli sculpsit

MARIÆ ANNÆ AVSTRIACÆ,

Auguſtiſſimę, & Potentiſſimę Hiſpanę Monarchię, vtriuſq; orbis maximarum prouinciarum, & Inſubrię.

REGINÆ,

AC DOMINÆ SVÆ CLEMENTISSIMÆ.

AVdeo o REGINARVM MAXIMA Auſtriacos tuos Cæſares tibi repræſentare, nec exhorreſco ad tuæ maieſtatis apicem, cum nihil de meo exhibeam, ſed illud magnum, & auguſtum, quod Tui ſunt, imò Te ipſam tibi reddo, qua nihil in orbe terrarum maius & Auguſtius. Alterna ſiquidem felicitate cum Te vnam omnes maiorum tuorum imagines expreſſerint, Tu vna omnes exprimis, nec iniuria fit Heroum imaginibus, ſi in vna Heroina ſpectantur coloribus ſuis. Exhibeo tamen præſertim in dotale auſpicium regiæ poſteritatis, vt ſcias quos datura es ad Orbis vtriuſq; felicitatem INFANTES MONARCHAS, & iam nunc magna tua mente concipias tantarum imaginum coloſſos, tantorum nominum hæredes, Auguſtiſſima tot maximorum Cæſarum corona in æuum glorioſiſſimum radiantes. Agnoſces quoque opulentiam paternam, ac tuam. Poſt natum Romanum Imperium imò & humanam

nam Rempublicam, nullus præter maximum FERDINANDVM *parentem tuum potuit, pro hæreditatis asse duodecim magnos Cæsares numerare. Hi cum Hispanis Monarchis eiusdem Gentilitatis Heroibus, alijsque Heroicis innumerabilium Principum nominibus, ex Austriaco patrimonio cedunt in magnam dotem tuam.*

Quid deinde cum in Hispano solio rerum Domina, vtriusque orbis sceptro ditata

toto pariter dotabere Mundo?

Cl. de nup. Mar. Aug.

Suspicies in stellantibus maiorum tuorum imaginibus veluti domestico Cælo, Solem parentem duodecim auitorum Cæsarum cælestia signa pererrantem. Hinc auspicatissimam tuam genituram in Hauspurgica domo somniatis Cælestibus domibus illustriori: Hinc Heroscopum familiaris, AVSTRIAE GENTI, felicitatis terrarum, mariumq; dominatorem: Hinc maiores, minoresq; fortunas Dominæ rerum prosapiæ, diuinatione minime mendaci conijcies. Hoc Te Zodiaco Cæsarum radiantem, ac veluti coronatam, Italia prouinciarum Regina tibi magna ex parte vectigalis sublimes alpium suarum, nimirum coronæ suæ apices, ac turritum tot vrbibus, & arcibus caput inclinans, venerabitur: Hispania centum populis ex vtroq; orbe liberæ Monarchiæ tributarijs, ad pedes tuos prouolutis lætabunda, excipiet. In hoc domestico atrio Augustarum imaginum, tuorum morum Augustale aperio; nam non illustrium Imperatorum tantum, sed imperatoriarum virtutum, nobile atrium est. Scio tuos magnos Augustos maronianæ tubæ præconia, tuos imperatorum Optimos consularis panegyristæ laudes, tuos summos Heroas Orphæi Lyricinis plausum postulare. Sed illos ego exhibeo spectabiliores, si de tuo tantum non de meo spectentur, & ipsum meum silentium in pretio erit. Grandia argumenta tunc pro sua dignitate tractantur, cum eloquentiam omnem vincunt, quam expo-

scunt,

ſtunt, nec grandia eſſent, niſi omnem artis apicem ſuperarent. Confragoſi torrentes de populo minorum fluuiorum, ſtrepunt: magna & regia flumina cum tota ſua aquarum maieſtate ſilent. Nec veritas fuco, nec pulchritudo calamiſtro, nec maieſtas cothurno, nec felicitas phaleris indigent, vt de ſuo maxima, per facunda & canora mendacia ſpecioſè creſcant ex alieno. Vulgare encomium eſt, quod vulgari poteſt. Omnia cæleſtia, quæ ſupra noſtratem Mundum ſuſpiciuntur, latere numinis prouidentia non ſinit. Hic vnicus eſt ſuperis labor, circumferre ſupra terrarum orbem magna illa corpora, genuinis alioquin radijs ſplendentia. Cum ad tui faſtigium aſſurgere non poſſet humilis, licet penniger calamus, has maiorum tuorum Cæſarum imagines expoſuit; quæ te laureata facundia in muta ſua hiſtoria loquerentur. Quamquam nec Hiſtoricæ tantum Auguſtæ imagines Te referunt, Oratrices prædicant, Poetriæ canunt, ſed & Auſpices innocentem quamdam haruſpicinam exercent futurorum. Quis enim dubitet de Auſtriaci hymenæi felicitate, & regiæ magnitudine ſobolis, qui ſciat coniugem eſſe in AUSTRIADUM nuptijs ſemper felicitatem: qui videat tam egregia exemplaria delineaſſe naturam, vt quos MARIA ANNA dederis Heroas abſolueret? Euolue ingens patrimonium Hauſpurgicæ familiæ, vtriuſque orbis pretio ampliſſimum: præter germanicum imperium, quod calculis debetur meritorum, fere totum, dotalem hæreditatem eſſe comperies, vt iam in AUSTRIADUM nuptijs, omnium bonorum coniugia iniri dici poſsit, atque in capacem totius terrarũ Orbis Imperatricem, regnatricemq; domũ inferri. Alſatiam ALBERTO ſapienti peperit ſimul cum RUDOLPHO magno Imperatorum Auſtriadum Principe, auctoreq; Imperij, HEDUUIGGE; Auſtriam, confineſq; principatus Hauſpurgicæ familiæ tuæ ELISABE-

THAE

THAE cum Alberto I. triumphatore nuptiæ, coniugarunt. Nata sunt eodem gemella partu Hungariæ, & Bohemiæ regna ALBERTO II. honorifico, ex altera ELISABETHA Sigismundi Cæsaris filia, ancillantibus magnæ duorum regnorum soboli Lusatia, Silesia, Morauia, alijsq; opulentissimis prouincijs. Eadem nuptiali iure renata sunt FERDINANDO I. Cæsari ex ANNA Uladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis filia. Burgundia septemdecim belgicis prouincijs stipata cessit MAXIMILIANO I. in dotalem hæreditatem, ex MARIA auspicatissimi nominis in Austriacis fastis, ac virtutum, quæ nomen implerent, Tuiq; auspices esse possent, Caroli Audacis Burgundiæ Ducis, Principisque belgarum, filia. Hispana Monarchia mortalis apex potentiæ, vtriusq; solis purpura illustris ex tot regnorum pondere, graui sceptro potens, terrarum mariumq; ambitu, Cæli Zonis, imò ipso Cælo, omniumq; stellarum serto coronata, in IOANNA FERDINANDI, & ISABELLAE Catholicorum Regum filia PHILIPPO I. pulchro nupsit vnico sanguinis Austriaci hæredi Tritauo tuo, ac tui CONIUGIS MONARCHAE, ad quem PHILIPPAEUM nomen, potentia, ac virtus transmissa sunt, Abauo fortunatissimo. Oriens occidenti, & Atlantici maris Africa litora Americanis, omnisq; amplissima per immensa maria Lusitanici nominis potentia vno fuere coniuncta coniugio CAROLI U. maximi cum ISABELLA Emanuelis Portugalliæ Regis filia, & sanctissimo titulo maternæ dotis PHILIPPO II. quo nihil prudentius, nihil potentius Orbis terrarum vidit, transcripta. Omitto magna prouinciarum nomina, quæ CARINTHIAE, ac FERRETANAE REGIAE SPONSAE Austrij patrimonij Principatibus addidere. Omitto ipsum occidentis imperium eodem quo Hungariæ, & Bohemiæ regna partu, iterum ortum in

Au-

Austriaca domo, enitente tergeminam sobolem immensæ felicitatis ELISABETHA Augusta Sigismundi Cæsaris filia & Caroli IV. clarissimi imperatoris nepte, ex inclyta Lucemburgensium Comitum stirpe. Ita nata est atque adulta Austriaca potentia prouincijs cum Reginis, Austrijs principibus desponsatis, cum Regijs infantibus nascentibus populis, regnis ipsis in austriadum nuptijs, imò, & mundis in dotem numeratis. Quantam vero faustitatis molem pepererint ex vtroq; coniuge Austria; Austriæ nupta, & hymenæi toti austriaci, præter auspicatissima MARIAE CAROLI V. maximi filiæ cum MAXIMILIANO II. Cæsare, ANNAE eiusdem MAXIMILIANI II. filiæ cum PHILIPPO III. Monarcha potentissimo, alterius ANNAE Archiducis FERDINANDI filiæ cum MATTHIA Cæsare, tuus ipse MARITUS MONARCHA MARGARITAE Austriacæ FERDINANDI II. Pij Cæsaris sororis, ac Tu ipsa MARIAE Austriacæ eiusdem MONARCHAE PHILIPPI IV. sororis, & MARGARITAE Auiæ tuæ filiæ, immortalia, summæ felicitatis, ex Austriaca arbore germina, testamini. O auspicatissimos regnorum triumphatores Austriæ gentis hymenæos, quæ supra omnium augustarum, & regiarum familiarum beatitatem ferè totum terrarum orbem possidet, sanctissimo titulo Sacramentis nuptialibus obligatum, incruentis victorijs, non bellis sed coniugijs, non in laurea; sed in florea expugnatum! Quis deinde regiam posteritatem numerosissimam iam non sibi numeret, fastisque inscribat in ea domo, in qua semper innocenti duello, felicitas fæcunditasque certarunt, illa regnorum, hæc Regum procreatrice, confusis etiam titulis, & altera alteri mixta, ita vt semper fuerit felix fæcunditas, fæcunda felicitas. Certè, cum Austriacos fastos lego, ac si stellarum aureis notis scripta volumina legerem, domusque

hæc

hæc Serenissima Cælum esset, suspicio non singulas stellas, sed earum quasi familias numerosa Prole progigni. Auspicia deinde promittunt gentiles Heroes INFANTI MONARCHAE, totique Regiæ posteritati, quam iam tot populorum vota concepere, ferè supra omnem eorumdem votorum granditatem. Omnia hæc tuorum maiorum Cæsarum simulacra in vnum confluunt, conflanturq; procul dubio supra communem hominum conditionem colossæum. Conspirabũt ad INFANTEM MONARCHAM beandũ certatim RUDOLPHI I. felicitas cum II. PRUDENTIA, I. FRIDERICI constantia, cum II. æquanimitate, I. MAXIMILIANI magnanimitas cum II. mansuetudine, CAROLI potentia cum MATTHIAE sub eiusdem diei Horoscopo nati iustitia, vtriusq; simul ALBERTI fortitudo, omne FERDINANDORUM tergeminum, imò innumerabile decus, & quod mireris vbique singulare. Demum omnis Austriaca virtus (quæ verò virtus iam non modo austriaca sit?) in vnum tuum Heroem coniurabit. Illa etiam tota cognomentorum familiarium nobilitas, ac veluti familia titulorum, magni, ex I. RUDOLPHO, triumphatoris, & honorifici ex ALBERTIS, Pulchri, & Pacifici, ex FRIDERICIS, maximi ex CAROLO, eius alexandri, quem ex Te, ac PHILIPPO Orbis terrarum votis omnibus expectat, nomini adhærebit. Et certe ex PHILIPPO magnum aliquem, ac victorem mundi Alexandrum iure omnes auspicamur, nam Olympia sinu Leonem fouens, Philippo in somnis occurrit cum Alexandri præsagia dedit. Ex Hauspurgico Gentilitio stemate coronatum Leonem Regia Nympha non ferre non potes. Denique auspicia dotalia tua sunt, quidquid Austriacum quadringentis fere solibus sanctum in virtutibus, augustum in fama, faustum in felicitate, gloriosum in potentia, magnum in nomine Orbis terrarum suspexit, Cælum spectauit.

Insigne Hauspurgensium Comitum Leo coronatus.

ſpectauit. Deſcende ergo e Cælo Sanctiſsime Hymen, duas extra Cælum Cæleſtes animas copulaturus, vt Auſtria, quæ in ſuis magnis titulis nullum fortaſſe numerat coniugiorum felicitate maiorem, geminatis auſpicijs, Auſtriæ nubente, ex Imperatoria & Regia Auſtriadum Heroum ſtirpe, nepos naſcatur, Rex Cæſarum, Cæſar Regum, & vtrorumq; Heros, hæreditarijs, ac dotalibus ſplendoribus clariſsimus. Stipent te denſi turmatim inter baſilica gaudia immortales amores, concordiaq; inter feſta hilaria, nuptis ſimul roſis, ac lilijs, floreas corollas pangente, omnium Heroinarum virtutum, charitumq; chori æternos Apriles ducant, quos fugientibus Aquilonibus, ſolus mitis AUSTER anni dominator, & ſæculi, flabit. Tu interim Reginarum maxima, ac feliciſsima, tua, Tuorumq; gloria, cui nomen ipſum MARIAE ANNAE, Imperium & gratias loquens, non ſolum pro præſagio, ſed & pro hiſtoria & panegyrico eſt, i quò te ſuperi vocant omnibus auſpicijs: homines votis omnibus rapiunt. Auſtriam Auſtriæ iunge, Hiſpaniam Germaniæ, Septentrionem Auſtro, Orientem Occidenti, Religionem Potentiæ, Fortitudinem Magnanimitati, Beniſicentiam Prudentiæ, Imperijs Regna, & quo nihil maius dici poteſt, omnes, totoſque FERDINANDOS PHILIPPIS. Nunquam Auſtria in Hiſpaniam, nunquam Hiſpania in Auſtriam ſine comite felicitate, nunquam non Cælo duce migrauit. Impone capiti coronam, circulum fere orbi terrarum parem, nec tamen illud implentem, coronatura maiori hac tuorum Imperatorum corona, regna ampliſsima. Indue purpuram, qua Orientis vincas purpuratum ſolis, & Occidentis paludamentum, imò ad vtriuſq; ſolis inuidiam radiantem. Aſcende ſolium magnitudini animi tui æquale, quod vtriuſq; mundi tergum premat.

Orbe coronata Orbis eris MARIA ANNA corona.

Iam tibi Inſubria coronatum altis montibus, magniſq; ar-

 cilus

cibus caput, Urbs præsertim hæc Princeps, inter sua clementissimæ Dominæ obsequia felicissima, submisit: Iam Hispania Cælo finitimam Pyrenem inclinans, Reginam suam salutat. Iam tibi Atlas subditus, Rex montium, cum Peruanis & Brasilis iugis, insertos astris apices demittit. Iam Tibi ab omni quadrifidi Cæli cardine Euri, Boreæ, Austri, Zephyriq; Principes venti tributarij animas suauiores inspirant. Iam Ganges, Rhenus, Eridanus, Tagus coronata flumina aquas pretiosioribus gemmis, metallis, electrisq; diuites instillant vectigales. Iam Tibi Europa, Asia, Africa, America ancillantes suæ Dominæ, thalamum adornant, totumq; magnum mundum, muliebrem mundum destinant Sponsæ Regnatrici. Iam gemmas legunt breuia illa, & diurna mortalium sidera, quibus Tibi Regina sua, amabili & pretiosa tempestate grandinat Oriens. Iam aurum congerunt, quod Tibi e suis venis in amantissimum suæ fidei tributum euiscerat Occidens. Iam expiscantur Tibi vtriusque Occeani, ac solis filias, Cæli lachrymas, terrarumq; gaudia, vniones. Iam texunt Tibi dibaphas Eoo, occiduoq; murice purpuras. Iam Tibi extirpant pretiosa marium tuorum arbusta, ramosa coralla, purpuratos lapidum Reges, vbi semel Cælum aspexerint. Iam omne tuis pedibus aduoluunt sudatum in montibus, aquis, siluis, regnorum pretium.

Cl. ad ser. Sub pedibus tegitur terra fretumque tuis.

Agnoscet Dominum pondus mare, reuerebitur Heroinam, quæ non vnius, sed tot Cæsarum fortunatissimorum fortunam vehit, velificantem secundissimis Austris nauim cum maiestate feret, nec rebellabit infidi elementi regnum, licet fere semper ventorum inconstantium animarum coniuratione tumultuans. Vbi irradiarint MARIA ANNA, & FERDINANDUS Helena, & Castor lucida, & benefica sidera in reuerentiam tantæ maiestatis contumaces etiam fluctus, ventosque componet, & tot marium Domina

totam

totam seruire coget Aeoliam. Intelligit Hispania bonum suum: excipiet Te, tuis nuptijs ad spem felicitatis immortalis erecta effusis cum gaudijs etiam populis. Iam promittit te sibi, nec mendacibus auspicijs, nec falsis votis geminato in Te Regio, & Imperatorio decore Elisabetham Aragoniam Sanctissimam reginam, prudentia sua Regnorum pacatricem, & Pulcheriam sapientissimam Imperatricem beneficentia sua populorum matrem. Sperat se in vna MARIA ANNA Clothildes, Blancas, Radegundes, Cunegundes, Eleonoras, Margaritas, Birgittas, aliaq; sanctissimarum regiarum Heroidum prodigia numeraturam. Expectatur a te pulcherima Iride inter ferruginea bellorum nubila irradiante, & orbi terrarum pacis, & potentissimo PHILIPPO, Hispanisq; regnis, INFANTIS MONARCHAE, regiaeq; posteritatis numerosa serenitas. Hac dies felicitatis, quam Te sponsa veluti in aurora haurimus, TE matre nunquam occidet. Aurei fluent dies vbi coniunctis cum MAXIMO TVO CONIVGE radijs, Hispana monarchia orbē illustraueris, & solem dederis. Iuncti Austri fortiores, impetum procellosi Aquilonis frangent, & longum hoc difflabunt belli europai dedecus. Cedent regina manui tua, omnes obices pacis, etiam si senuerint, & radices egerint, regna ipsa impulsura, si obstabunt. Austriaca potentia, qua vix crescere potest, nullum cumulum ferè admittit felicitatis, prater pacem. Stabit autem tunc sicut Orbis terrarum immensa mole, magnisq; pondoribus suis. Iam decrepita est ferrea atas, ea moriente, aurea nascetur. Et sanè quid aliud etiam, quam auream atatem prafert tuum ipsum auspicatissimum nomen, cum imperium gratiarum & regnantes charites sonat? Nihil latius consecrare poterit immortalitati tuas nuptias, quam armorum proscriptio, gemellusq; cum INFANTE MONARCHA Orbis triumphatore, post debellata omnia bella, triumphalis pacis

 partus.

partus. Iam nunc Insubria adhuc ex recentibus victorijs inuictissimi, aequè ac victoriosissimi Marchionis Caracenae Fabiana prudentia, Caesarea felicitate, ac tuis POTENTISSIMA REGINA, etiam auspicijs, quae rerum Insubricarum DOMINA, iam aderas praesentissima, ter maximi, in suo capite laureata, eum induit, quem tu vides immensae laetitiae vultum, & vix capit ingentia gaudia, quae tuus aduentus, congessit, ac prima praeludia gratiarum.

Adspice conuexo nutantem pondere mundum,
Terrasq; tractusq; maris, Caelumq; profundum:
Virg. Ec 4. Adspice venturo laetentur vt omnia saeclo.

Quid erit cum geminata faelicitate pacato Orbi terrarum INFANTEM MONARCHAM dederis, de quo cani possit inter festa hilaria veriori praesagio

Vltima cumaei venit iam carminis aetas,
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo;
Iam redit & Virgo, redeunt saturnia regna,
Iam noua progenies Caelo demittitur alto.

Quid erit cum claram tot Diuum Caesarum, & maximorum Monarcharum sobolem dederis, Magnum AVSTRIADVM INCREMENTVM, cuius in vultu vterq; Parens irradiet, augustam, regiamq; prolem, si fieri potest FERDINANDIS, ac PHILIPPIS MAXIMIS maiorem. Euoluent ex Te PHILIPPAEA, ac FERDINANDAEA saecula felicissima, qui nascentur ad libertatem Orbis Ortodoxi Regij liberi tui; omnium Caesarum Austriadum titulis, Regumq; coronati. Ibit in PHILIPPOS haereditaria PHILIPPI I. regnatrix Prudentia, II. victrix iustitia, III. Religio triumphatrix, IV. Clementia seruatrix, & in FERDINANDOS transcribetur dotalis FERDINANDI I. augusta Magnanimitas, II. constans Pietas, III. fortis Religio IV., auspicatissima Probitas. Rursusq; iuncti simul

mul FERDINANDI, & PHILIPPI, consecrata immortalitati nomina, omnem tuam posteritatem beabunt. Expectantur ex Te THESEI, theatris quidem digni, quales certantibus vbiq; magnificentia, atque elegantia, supra tituli splendorem serenissimis oculis spectabis; non tamen theatrales tantùm, sed veri Heroes, quibus orientibus noua semper regna nascantur, pugnantibus fatales a Patre enses ad domandos populos, prosternendosq; minotauros, ariadnaea a matre filia, quae sospitent, inserantur. Hac superum auspicia, hac hominum vota, hac Orbis terrarum Votiua auspicatissima felicitas, dum MARIA ANNA FERDINANDI III. magni Caesaris non degener filia, PHILIPPO IV. Regum maximo non impar sponsa nubit, pronuba diuinitate, Caelo paranympho e suis ignibus thadam accendente, augustam Nymphae Regnatricis formam, opinione etiam magna, & fama maiore, augente modestiae flammeo, aurea fide in annulo aeternitatis, adamantinam maritante concordiam, effusisque in dotem omnibus, quibus nihil pretiosius inueniri potest, Austriacis bonis. Ibis regnatrix Sponsa, sol austriace, caelestium motu, quando & illorum beneficentia radias, & immortalitate viues, in Hispaniam, quae solis thalamus dicitur: Ibis in Occidentem, nec dubitari potest, quin Hesperus Hesperiae nascatur, & serenissimorum infantium, illustrium veluti stellarum, firmamentum. Interim potentissima & clementissima Hispanae Monarchiae REGINA Orbis terrarum felicitati.

MARIA ANNA

in eam auream, quam de te condes aetatem anna, perenna.

Fabricius Banfus Prouincialis Soc. IESV in Prouincia Mediolanensi.

CVM opus cuius titulus est, *Austriaci Cæsares Mariæ Annæ Austriacæ potentissimæ Hisp. Reginæ in dotale auspicium exhibiti*, a P. Hortensio Pallauicino compositum tres ex eadem Societ. Patres recognouerint, & in lucem edi posse probauerint potestate ab Adm. Reu. P. nostro Præposito Generali Vincentio Carrafa mihi facta, facultatem concedo vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet videbitur. Mediol. 24. Aprilis 1649.

Fabricius Banfus.

AVstriacorum Cæsarum genealogiam, heroicas virtutes, gestaque celeberrima ab Admodum R. P. Hortensio Pallauicino e Societate IESV publico Sacræ Theologiæ in Braydensi Collegio professore eruditè repræsentata Mariæ Annæ Ferdinandi III. magni Cæsaris filiæ, ac Philippi IV. Regum maximi sponsæ, & optima de Austriaci hymenæi felicitate, regiæque sobolis ingenti spe auspicia de mandato Reuerendissimi P. Inquisitoris legi, cumq; omnia nitantur historica veritate, sanamque doctrinam redoleant, ad communem Reipublicæ Catholicæ vtilitatem, ac lætitiam spectare censeo si hæc publici iuris fiant.

Ego Iacobus Philippus Butius Doctor Collegij Ambrosiani, & interpres Sanctæ Inquisitionis.

Die 25. Aprilis 1649.

Attenta suprascripta relatione. Imprimatur Fr. Basilius Commissarius Sancti Officij Mediolani.

Io. Paulus Mazuchellus pro Eminentissimo D. Cardinali Archiepiscopo.

Comes Maioragius pro Excellentissimo Senatu.

SYL-

SYLLABVS SCRIPTORVM,

Quorum auctoritate nituntur ea, quæ in hoc libro historicè dicuntur.

ABrahamus Bzouius in ann. Eccl.
Alfonsus Ciacconius in vi. Pont.
Andreas Brunner in exc. tutel.
S. Antoninus in Chron.
Casperius Geuartius.
Compendium vitæ Rom. Imper. edit. Romæ anno 1606.
Cæsar Campana in hist. Mundi.
Donatus Bossius in Chron.
Famianus Strada in hist. Belg.
Franciscus Tertius.
Franciscus Sansouinus de Princ. Austr.
Comes Galleatius Gualdus Prioratus.
Gaspar Scioppius in Stem. Aug. Dom. Aust.
Hieronymus Bardus in vit. Ferd. I. Max. II., & Rud. II.
Hieronymus Gheuillardus de gen. Aust. (tino.
Hist. Transil. relatæ à Ferd. Donno Coll. ab equite Cyro Spon-
Historiographus Serenifs. Sab. Ducis in Amed. pacif.
Hist. Bellorum German. in vernac. ser. versa à Iacobo de Noris.
Horatius Tursellinus in epit.
Io. Cochlæus in hist. Hussit.
Io. Baptista Tonsus in vita Eman. Philib. Sab. Duc.
Io. Cuspinianus in Austria.
Io. Nauclerus in Chron.
Io. Rhò in var. virt. hist.
Io. Fridericus Matenesius.
Iulius Cæsar Bullengerius in hist. suorum temporum.
Iulius Solimanus in Elog. Bohem. Reg.
Laurentius Surius in Comp. ab an. 1500. ad 1576.

Ludo-

Ludouicus Mutius.
Martinus Crommerus in Polon.
Michael ab Iſcelt in ſupplem. ad Sur.
Odoricus Raynaldus in annal. Eccleſ.
Onuphrius Panuinus in lib. Rom. Princ.
Paulus Ballionius in vit. Ferd. II.
Paulus Iouius in hiſt. & elog.
Paulus Santorius in vita Rudolphi II.
Philibertus Pingonius in arbore gentil. Sax. & Sab. Ducum.
Platina in vitis Pontif.
Petrus Mexias in hiſt. Rom. Imper.
Richardus Bartolinus.
Ranucius Picus in ſpeculo Princ.
Triſtanus Calchus in hiſt. patrijs.

FRANCORVM REGES

A Pharamundo primo Francorum in Germania Rege, vsque ad Theodebertum II. ex quo Hauspurgensium Comitum, qui postea AVSTRIACI CAESARES, stirps, SIGEBERTVS prodijt, secundum chronographicam temporum seriem deducti.

PHARAMVNDVS. I. Francorum in Germaniâ Rex.
CLODIOCRINITVS. Pharamundi Filius.
MEROVEVS, alio nomine MEROVICHVS, & ab eo Merouingi sequentes Reges.
CHILDERICVS, Sub quo Franci Gallias occupauere.
CLODOVEVS Primus Christianus Francorum Rex: sub hoc Romanum Imperium in Gallijs defecit.
CLODOMIRVS.
THEODERICVS. I.
THEODEBERTVS. I.
THEOBALDVS.
CHILDEBERTVS I.
CLOTARIVS. I.
CHEREBERTVS. alio nomine ANBERTVS.
SIGEBERTVS. I.
CHILPERICVS. I.
GVNTHRANNVS.
CHILDEBERTVS. II.
THEODEBERTVS. II. Francorum Austrasiorum Rex, SIGEBERTI Austrasiæ Regis Pater, a quo exule, & paterni Regni exorte natus est SIGOPERTVS CONTINENS Hauspurgentium Comitum primus.

COMITES HAVSPVRGENSES

Per quos originem ducunt ab Austrasiæ Regibus
AVSTRIACI CAESARES.
Cum cognomentis, quæ illis, sua cuique ætas, addidit.

SIGOPERTVS CONTINENS, SIGEBERTI Austrasiæ Regis filius, Comes Hauspurgensis primus.
OTTOPERTVS GRAVIS. II.
BABO GRATVS. III.
ROTHERIVS ÆQVVS. IV.
HETOPRECHTVS CAVTVS. V.
RAMPRECHTVS GRATIOSVS. VI.
LVITHARDVS RELIGIOSVS. VII.
GVNTRAMVS Primus FORTIS. VIII.
LVITFRIDVS LAVDATISSIMVS. IX.
HVNFRIDVS HONORATVS. X.
GVNTRAMVS Secundus MODESTVS. XI.
BETZO FORTIS. XII.
ROPATO CONSTANS. XIII.
BERNHERVS LIBERALIS. XIV.
OTHO PRVDENS. XV.
ALBERTVS Primus DIVES. XVI.
ALBERTVS Secundus TACITVRNVS. XVII.
ALBERTVS Tertius SAPIENS. XVIII.
RVDOLPHVS MAGNVS Primus Comitum Hauspurgensium IMPERATOR.

AV-

AVSTRIACI CÆSARES.

Adnotata chronographia annorum, quibus Imperarunt; & adscriptis nominib: Imperatorum, qui intermixti regnarunt.

RVDOLPHVS. I. MAGNVS. ab anno. 1273. ad 1291.
Adolphus ad annum. 1300.
ALBERTVS. I. TRIVMPHATOR. ad annum. 1310.
Henricus. VII. ad annum. 1313.
FRIDERICVS. III. PVLCHER. ad an. 1330. simul cum Ludouico.
Ludouicus. V. ad annum. 1347.
Carolus. IV. ad annum. 1378.
VVenceslaus. ad annum. 1400.
Robertus. ad annum. 1408.
Sigismundus. ad annum. 1435.
ALBERTVS. II. HONORIFICVS. ad annum. 1439.
FRIDERICVS. IV. PACIFICVS. ad annum. 1493.
MAXIMILIANVS. I. ad annum. 1519.
CAROLVS. V. MAXIMVS. ad annum. 1556.
FERDINANDVS. I. ad annum. 1564.
MAXIMILIANVS. II. ad annum. 1576.
RVDOLPHVS. II. ad annum. 1612.
MATTHIAS. ad annum. 1619.
FERDINANDVS. II. ad annum. 1637.
FERDINANDVS. III. Imperans.

AVSTRIACI MONARCHÆ
HISPANIARVM REGES.

Adiectis annis quib: regnarunt.

PHILIPPVS. I. PVLCHER ab anno 1501. ad annum 1506. viuente Ferdinando Catholico Socero.
CAROLVS. V. MAXIMVS. ad annum. 1556.
PHILIPPVS. II. ad annum. 1598.
PHILIPPVS. III. ad annum. 1621.
PHILIPPVS. IIII. Regnans.

AVSTRIACI HVNGARIÆ,
ET BOHEMIÆ REGES.

Adiunctis annis quib. inaugurati sunt.

RVDOLPHVS MITIS, inter Austriacos Principes secundus, solius Bohemiæ Rex anno 1307.
ALBERTVS, inter Austrios Principes. V. inter Imperatores. II. Rex Hungariæ, & Bohemiæ eodem anno. 1435.
LADISLAVS Rex Hungariæ, & Bohemiæ eodem anno. 1440.
FERDINANDVS. I. Cæsar Rex Hungariæ, & Bohemiæ eodem anno. 1527.
MAXIMILIANVS. II. Cæsar Rex Bohemiæ electus anno. 1548., coronatus anno 1562. Rex Hungariæ anno. 1563.
RVDOLPHVS inter Austrios Principes. VI. inter Imperatores.

ratores. II. Rex Hungariæ, & Bohemiæ eodem anno. 1573.

MATTHIAS Cæsar Rex Hungariæ anno. 1610. Bohemiæ. anno. 1611.

FERDINANDVS inter Austrios Principes. V. inter Imperatores. II. Rex Bohemiæ anno. 1617. Hungariæ. 1618.

FERDINANDVS. III. Cæsar Rex Bohemiæ anno 1621. Hungariæ. 1625.

FERDINANDVS. IIII.

AVSTRIACÆ GENTIS AVGVSTÆ

Propagatio a RVDOLPHO. I. Magno Imperatore recta succedentium serie per vtrunque, GERMANICORVM CÆSARVM, & HISPANORVM MONARCHARVM, qui modo regnant, ordinem.

RVDOLPHVS. I. Magnus Cæsar Austriadum primus.

ALBERTVS. I. Triumphator Cæsar, & primus Archidux Austriæ.

ALBERTVS. II. Sapiens.

LEOPOLDVS. III. Probus.

ERNESTVS. I. FERREVS.

FRIDERICVS. III. Pacificus. Cæs.

MAXIMILIANVS. I. Cæsar.

PHILIPPVS. I. Pulcher Hispaniarum Monarcha.

CAROLVS. V. Cæsar, & Hispaniarum Monarcha.

PHILIPPVS. II. Hispaniarum Monarcha.

PHI-

FERDINANDVS. I. Cæsar.

CAROLVS. II. Archidux Austriæ.

FERDINANDVS. II.

Pius.

PHILIPPVS. III. Hispaniarum Monarcha.
PHILIPPVS. IIII. Hisp. Mon.

Pius Cæsar.
FERDINANDVS. III. Cæs.
FERDINANDVS. IIII. Rex Hũgariæ, & Bohemiæ.

AVSTRIACÆ GENTIS

Propagatio per Serenissimas Fæminas deducta a RVDOLPHO. I. Magno ad FERDINANDVM. III. Cæsarem, & PHILIPPVM. IIII. Hispaniarum Monarcham.

ANNA HOENBVRGENSIS.

Alberti Hoenbur. Comit. Filia, RVDVLPHI. I. Magni Cæsaris vxor, ALBERTI. I. Triumphatoris Mater.

ELISABETHA CARINTHIA.

Meinhardi Ducis Carint. Fil., ALBERTI. I. Cæs. vxor ALBERTI. II. sapientis Mater.

IOANNA FERRETANA.

Vdalrici Comit. Ferretarum Fil., ALBERTI Sapientis vxor, LEOPOLDI. III. Probi Mater.

VIRIDA VICECOMES.

Barnabæ Vicecom. Principis Mediolan. Fil., LEOPOLDI Probi Vxor, ERNESTI Ferrei Mater.

MARGARITA POMERANA.

Bugislai Pomeraniæ Ducis Fil., ERNESTI Ferrei vxor FRIDERICI. IV. Pacifici Cæsaris Mater.

ELEONORA LVSITANA.

Eduardi Portugalliæ Regis Fil., FRIDERICI Pacifici vxor, MAXIMILIANI. I. Cæsaris Mater.

MARIA BVRGVNDA.

Caroli Aud. Burgundiæ Ducis Fil., MAXIMILIANI I. Cæs. vxor,

vxor, PHILIPPI. I. Hiſpaniarum Monarchæ Mater.

IOANNA HISPANA.

FERDINANDI, & ISABELLÆ Catholi. Reg. Fil. PHILIPPI. I. vxor, CAROLI. V. Maximi, & FEDINANDI. I. Cæſarum Mater.

ISABELLA LVSITANA.

Emmanuelis Luſit. Reg. Fil. CAROLI. V. vxor, PHILIPPI. II. Hiſpan. Monar. Mater.

ANNA AVSTRIACA.

MAXIMILIANI. II Cæſaris Filia PHILIPPI. II. vxor, PHILIPPI. III. Hiſpaniarum Monar. Mater.

MARGARITA AVSTRIACA.

CAROLI Archid. Fil. PHILIPPI. III. vxor, PHILIPPI. IV. Maximi Hiſpa. Monarchæ Mater.

MARIA ANNA AVSTRIACA.

FERDINANDI. III. Cæſar. Fil., PHILIPPI IV. Hiſpan. Monarchæ vxor.

ANNA IAGELLONICA.

Vladislai Hung., & Bohem. Reg. Fil. FERDINANDI. I. Cæſaris vxor, CAROLI Archiducis Mater.

MARIA BAVARA.

Alberti. V. Bauariæ Ducis Filia, CAROLI Archiducis vxor, FERDINANDI II. Pij Cæſar. Mater.

MARIA ANNA BAVARA.

VVillelmi. V. Bauariæ Ducis Fil., FERDINANDI. II. Cæſa. vxor, FERDINANDI. III. Cæſar. Mater.

MARIA AVSTRIACA.

PHILIPPI. III. Hiſpa. Monar. Fil. FERDINANDI. III. Cæſa. vxor, FERDINANDI. IV. Hunga. & Bohem. Regis Mater.

MA-

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispaniarum Reginæ

ORIGO

A Regibus Gothicis, Castellæ, ac Legionis.

1. *SEUERIANUS Dux prouinciæ Carthag. cuius, vxor Theodora Regij Gothorum sanguinis.*
2. *THEODOSIA Regina a Liuua fratre in regni consortem adoptata, vxor Leouigildi, qui post occisum S. Hermenigildum filium, & martyrem obijt Catholicus anno 586.*
3. *RECAREDUS Goth. & Hispaniarum Rex.*
4. *GEILA vel Agilanus frater Liuuæ, & Suinthilæ Regum, & patruus Recimeri Regis.*
5. *PETRUS Dux Cantabriæ.*
6. *FROILANUS Dux Cantabriæ.*
7. *UEREMUNDUS. I. Rex obijt anno. 791.*
8. *RANIMIRUS. I. Rex.*
9. *ORDONIUS. I. Rex.*
10. *ALFONSUS. III. Magnus Rex.*
11. *ORDONIUS. II. Rex.*
12. *RANIMIRUS. II. Rex Alfonsi. IU. Regis frater.*
13. *ORDONIUS. III. Rex.*
14. *UEREMUNDUS. II. Podagricus Rex.*
15. *ALFONSUS. U. Rex.*
16. *SANCTIA Regina.* 1038. *cuius maritus Ferdinandus Magnus. I. Rex Castellæ filius Sanctij Magni Hispaniæ Imperatoris.*
17. *ALFONSUS. UI. Fortis Hispaniæ Imperator.*
18. *URRACA Regina, cuius maritus Raimundus Comes Burgundiæ regij generis.*

AL-

19. *ALFONSUS. UII. Rex, renunciatus Imperator. Hispani.* 1155. *obijt anno* 1157.
20. *FERDINANDUS. II. Rex Legionis.*
21. *ALFONSUS IX. Rex Legionis, cuius vxor Berengaria filia maior Alfonsi. UIII. Regis Castellæ.*
22. *FERDINANDUS. III. Sanctus Rex Castellæ, & Legionis, cuius vxor Beatrix filia Philippi Sueui Imper., ob. an.* 1252.
23. *ALFONSUS X. Sapiens, & Astrologus, electus Imperator cessit Imperij Iure RUDOLPHO I. Magno Austriaco.*
24. *SANCTIUS. IU. Rex.*
25. *FERDINANDUS. IU. Rex.*
26. *ALFONSUS. XI. Rex.*
27. *HENRICUS. II. Rex.*
28. *IOANNES. I. Rex.*
29. *HENRICUS III. Rex.*
30. *IOANNES. II. Rex.*
31. *ISABELLA Reg. vxor Ferdinandi Catholici obijt an.* 1504.
32. *IOANNA Regina vxor Philippi.* I.
33. *FERDINANDUS.* I. *Imperator.*
34. *CAROLUS Archidux.*
35. *FERDINANDUS.* II. *Pius Imperator.*
36. *FERDINANDUS.* III. *Imperator.*

MARIA ANNA Hispaniarum Regina.

Ab ISABELLA per septem gradus deriuatur ex materna etiam origine MARIA ANNA: nimirum per ISABELLAM Reginam, IOANNAM Reginam, CAROLUM U. Imperat. & Monarcham, PHILIPPUM. II. Monarcham, PHILIPPUM. III Monarcham, & MARIAM Austriacam PHILIPPI. IU. Sororem, ac III. *Filiam. Alia etiam origo habetur per MARIAM MAXIMILIANI II. Fil. MARIÆ ANNÆ Hisp. Reg. Proauiam.*

D MA-

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispan. Reginæ

ORIGO

A Regibus Suprarbiensib., & Aragoniæ.

1. *EXIMINUS siue Ximenus Rex Aquitaniæ.*
2. *INNICUS Arista Rex Suprarbiensis obi. an.* 870.
3. *GARSIAS Innicus Rex Suprarbiensis, cuius vxor Urraca filia vltimi Comitis Aragoniæ.*
4. *SANCTIUS Abarca Primus Rex Aragoniæ obi. an.* 993.
5. *GARSIAS. I. Abarca.*
6. *SANCTIUS. II. Galindus.*
7. *GARSIAS. II. Tremulus.*
8. *SANCTIUS Magnus, vel Maior Hispaniæ Imperator.*
9. *RANIMIRUS. I. Rex Aragoniæ, dictus Christianissimus.*
10. *SANCTIUS. IU. Rex Aragoniæ.*
11. *RANIMIRUS. II. Monachus Rex Aragoniæ.*
12. *PETRONILLA Regina Aragoniæ, vxor Berengarij Comitis Barcinonensis.*
13. *ALFONSUS. II. Castus Rex Aragoniæ.*
14. *PETRUS. II. Catholicus.*
15. *IACOBUS. I. Expugnator.*
16. *PETRUS. III. Magnus, cuius vxor Constantia Neptis Friderici II. Imper. ex Manfredo Rege Siciliæ.*
17. *IACOBUS. II. Castus, cuius frater Alfonsus. III. Beneficus.*
18. *ALFONSUS. IU. Benignus.*
19. *PETRUS. IU.* Ceremoniosus, *cuius vxor Eleonora filia Petri Regis Siciliæ.*
20. *ELEONORA Regina vxor Ioannis. I. Reg. Castel.*

21. *FER-*

21. *FERDINANDUS. I. Honestus Rex Aragoniæ.*
22. *IOANNES. II. Magnus Rex Arago., & Nauarræ.*
23. *FERDINANDUS. II. Catholicus Rex Aragoniæ.*
24. *IOANNA vxor Philippi. I. Austriaci.*

FERDINANDUS. I. Imrator.
CAROLUS Archidux.
FERDINANDUS. II. Pius Impera.
FERDINANDUS. III. Imper.
MARIA ANNA Hispaniarum Regina.

CAROLUS V. Imp. & Mon. Rex Aragoniæ, & Castellæ.
PHILIPPUS. II. Monarcha.
PHILIPPUS. III. Monarcha.
MARIA Austriaca Imperatrix vxor Ferdinandi III. Imperat.
MARIA ANNA Hispaniarum Regina.

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispaniarum Reginæ

ORIGO

A Regibus Nauarræ, siue Vasconum.

1. *GARSIAS Rex Nauarræ Sanctij magni filius occisus anno* 1053.
2. *SANCTIUS Garsias.*
3. *RAMIRUS.*
4. *GARSIAS Ramiri.*
5. *SANTIUS Sapiens.*
6. *BLANCA REGINA vxor Theobaldi Comitis Campaniæ*
7. *HENRICUS Crassus.*
8. *IOANNA Regina vxor Philippi Pulchri Regis Galliæ.*
9. *LUDOUICUS Huttinus Rex Nauarræ, & Galliæ.*
10. *IOANNA Regina vxor Philippi. III. Reg. Gal.*
11. *CAROLUS. II. Rex Nauarræ.*

12. *CAROLVS. III.*
13. *BLANCA Prima vxor Ioannis secundi Regis Aragoniæ, & Nauarræ.*
14. *ELEONORA vxor Gastonis Foxij Comitis.*
15. *CATHARINA vxor Gastonis Foxij Sandali Comitis.*
16. *ANNA vxor Vladislai Hunga. & Bohemiæ Regis.*
17. *ANNA vxor Ferdinandi. I. Imperatoris.*

CAROLVS Archidux vel	*MAXIMILIANVS.II.Imp.*
FERDINANDVS II. Imp. Pius.	*ANNA vxor Philippi II. Hisp. Reg.*
FERDINANDVS III. Imp.	*PHILIPPVS: III. Hisp. Reg.*
MARIA ANNA Hispaniarum Regina.	*MARIA vxor Ferdinandi III. Imper.*
	MARIA ANNA Hisp. Reg.

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispaniarum Reginæ

ORIGO

A Regibus Portugalliæ.

1. *HENRICUS, cuius vxor Tarasia filia Alfonsi VI. Regis Castellæ, Comes Portugalliæ.*
2. *ALFONSVS. I. Rex Portugalliæ obijt.* 1185.
3. *SANCTIVS. I. Rex.*
4. *ALFONSVS. II. Crassus Rex.*
5. *ALFONSVS. III. Rex.*
6. *DIONYSIVS Rex.*
7. *ALFONSVS. IV. Ferox Rex.*
8. *PETRVS Crudelis Rex.*
9. *IOANNES. I. Rex.*
10. *EDVARDVS Rex.*

FER-

FERDINANDUS Infans vel EMMANUEL Rex	*ELEONORA vxor Friderici. IV. Pacifici Imper.*
ISABELLA Augusta vxor Caroli. V. Imper.	*MAXIMILIALUS I. Imp.*
PHILIPPUS. II. *Monarcha.*	*PHILIPPUS. I. Austr. Rex Hisp.*
PHILIPPUS. III.	*FERDINANDUS. I. Imp.*
MARIA Augusta vxor Ferdinandi. III. Imper.	*CAROLUS Archidux.*
MARIA ANNA Hispaniarum Regina.	*FERDINANDUS. II. Imp.*
	FERDINANDUS. III. Imp.
	MARIA ANNA Hispaniarum Regina.

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispan. Reginæ

ORIGO

Ab Henrico Aucupe Imperatore.

Per Imperatores Saxonici, & Sueuici sanguinis.

1. *HENRICUS Auceps Saxo Impera. obijt anno.* 935.
2. *OTTO Magnus Imperator obijt anno.* 973.
3. *LUDOLPHUS Dux Sueuiæ ducta Ita filia Ducis Sueuiæ.*
4. *HENRICUS.*
5. *CONRADUS. I. Salicus Imperator.*
6. *HENRICUS. III. Niger Imperator.*
7. *HENRICUS. IV. Senior Imperator.*
8. *AGNES Uxor Friderici Ducis Sueuiæ.*
9. *FRIDERICUS Unoculus Dux Sueuiæ.*
10. *FRIDERICUS. I. Ænobarbus Imper. obijt anno.* 1190.
11. *PHILIPPUS Dux Sueuiæ Impera.*
12. *BEATRIX Uxor Ferdinandi Sancti Regis Castellæ.*

Ab hac ad MARIAM ANNAM Hispaniarum Reginam, per quindecim gradus descenditur, vt superius in origine à Regibus Castellæ demonstratum est, tum in paterno, tum in materno ordine.

MA-

MARIÆ ANNÆ

Potentiſſimæ Hiſpaniarum Reginæ

ORIGO

A Carolo Magno, cuius ſtemma à Regibus Auſtraſiæ, & Francorum deducitur.

1. *CAROLUS Magnus Rex Franciæ, & Imper. obijt anno.* 814.
2. *LUDOUICUS Pius Imperator.*
3. *LUDOUICUS Senior Rex Germaniæ.*
4. *CAROLOMANNUS Rex Bauariæ, & Italiæ.*
5. *ARNULPHUS Imperator.*
6. *LUITGARDA vxor Ottonis Magni Ducis Saxoniæ.*
7. *HENRICUS Auceps Imperator.*

Ab hoc ad MARIAM ANNAM Hiſpaniarum Reginam per viginti ſeptem gradus Auſtriacum ſtemma deſcendit, vt ex ſuperiori origine conſtat.

MARIÆ ANNÆ

Potentiſsimæ Hiſpaniarum Reginæ

ORIGO

Ab Hugone Capeto, alijſq; Capetinis Galliȩ Regibus, quorum etiam ſtēma à Regibus Auſtraſiæ, & Francorum deducitur.

1. *HUGO Magnus Pariſiorum, & Andium Comes, cuius vxor Heduuiggis Filia Henrici Aucupis Imp.*
2. *HUGO Capetus Rex Galliæ an.* 996.
3. *ROBERTUS. II. Rex.*
4. *HENRICUS. I. Rex.*
5. *PHILIPPUS. I. Rex.*
6. *LUDOUICUS. UI. Craſſus.*

7. LU-

7. *LUDOUICUS UII. Rex.*
8. *PHILIPPUS. II. Augustus Rex.*
9. *LUDOUICUS. UIII. Rex.*
10. *Sanctus LUDOUICUS. IX. Rex.*
11. *PHILIPPUS. III. Audax Rex.*
12. *CAROLUS Comes Ualesius.*
13. *PHILIPPUS Ualesius Rex.*
14. *IOANNES Ualesius Rex.*
15. *PHILIPPUS Ualesius Dux Burgund. obijt an.* 1404.

Ab hoc per MARIAM MAXIMILIANI. I. Austriaci Imperatoris vxorem hæredem Burgundici Ducatus ad MARIAM ANNAM Potentissimam Hispani. Reginam per nouem gradus, tum in paterno ordine, tum in materno descenditur, vt ex superioribus manifestum est.

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispania. Reginæ

ORIGO

A Regibus Burgundiæ.

1. *HUGO Abbas, & Dux Andegauensis oriundus a Pharamundo primo Francorum Rege.*
2. *CONRADUS Comes minoris Burgundiæ.*
3. *RUDOLPHUS. I. Rex Burgundiæ obijt anno.* 912.
4. *Beatus RUDOLPHUS. II. Rex Burgundiæ.*
5. *CONRADUS Rex Burgundiæ.*
6. *GERBURGA vxor Hermani, II. Ducis Alemaniæ.*
7. *GISELA vxor Conradi. II. Imperat.*
8. *HENRICUS. III. Niger Imperator.*

Ab hoc MARIA ANNA per Beatricem filiam Philippi Imperatoris, & vxorem S. Ferdinandi Castellæ Regis viginti gradibus tum in paterno, tum in Materno ordine seiungitur.

MA-

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispaniarum Reginæ

ORIGO

A Saxonicis Angliæ Regibus.

1. *EGBERTUS Rex Angliæ primus obijt. anno.* 801.
2. *EDELFUS Rex.*
3. *ALARDUS Rex.*
4. *EDUARDUS senior Rex.*
5. *EDMUNDUS Rex.*
6. *EDGITHA vxor Ottonis primi Imperatoris.*

A quo MARIA ANNA Hispan. Regina viginti sex gradibus tum in materno ordine distat, tum in paterno, vt superiora demonstrant.

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispaniarum Reginæ

ORIGO

A Normannicis Angliæ Regibus.

1. *GUILELMUS Dux Normaniæ, & Rex Angliæ anno* 1067
2. *HENRICUS.* I. *Rex.*
3. *MITHILDA.*
4. *HENRICUS.* II. *Rex, cuius vxor Eleonora filia, & hæres Guilelmi Ducis Aquitaniæ, & Pictonum.*
5. *IOANNES Rex.*
6. *HENRICUS.* III. *Rex.*
7. *EDUARDUS.* I. *Rex.*
8. *EDUARDUS.* II. *Rex.*
9. *EDUARDUS.* III. *Rex.*
10. *IOANNES Dux Lancastriæ.*

11. *CA-*

11. *CATHARINA vxor Henrici. III. Regis Castellæ, a quo ad MARIAM ANNAM Hispa. Reg. octo gradus recensentur in vtroque ordine. Alia duplex origo ab his Regibus est per Alfonsum. X. Regem Castellæ, & per Philippam vxorem Ioannis. I. Regis Portugalliæ.*

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispaniarum Reginæ.

ORIGO DVPLEX

Ab Imperatoribus Græcis Constantinopolitanis.

1. *ISAACIVS Comnenus Imper. an. 1057.*
2. *ALEXIVS Comnenus.*
3. *THEODORA vxor Constantini Angeli.*
4. *ANDRONICVS Angelus.*
5. *ISAACIVS Angelus.*
6. *IRENE vxor Philippi Sueui Imperat.*

7. *BEATRIX vxor Ferdinandi, S. Regis Castellæ.*	7. *CVNIGVNDIS vxor Uvencesl. Ottoc. Reg. Bohe.*

A Beatrice ad MARIAM ANNAM Hisp. Reg. sunt tum in paterno, tum in materno ordine. 15. gradus. A Cunigunde in paterno 13: in materno 14. gradus, vt partim ex superioribus manifestum est: partim erit ex iisqua consequuntur.

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispan. Reginæ

ORIGO

Ab Ottone III. Magno Vuittelspachio, a quo serie nunquam interruptâ oriundi sunt duces, qui modo Pijssimè, & Felicissimè in Boiariâ, rerum potiuntur.

1. *OTTO. III. cognomento Magnus Uvittelspachius Leoni exauctorato a Friderico Cæsare Ænobarbo suffectus obijt an. 1183. & inter Boiariæ Duces XLVI. numeratur.*
2. *LUDOVICUS. IV.*
3. *OTTO. IV.*
4. *LUDOVICUS. V. Seuerus.*
5. *LUDOVICUS. VI. inter Boiariæ Duces, inter Imperatores. V. vel vt alijs placet. IV.*
6. *STEPHANUS.*
7. *IOANNES.*
8. *ERNESTUS.*
9. *ALBERTUS Pius.*
10. *ALBERTUS Sapiens.*
11. *UUILHELMUS Constans.*
12. *ALBERTUS Magnanimus.*
13. *MARIA vxor Caroli Archiducis Austriæ, MARIAE ANNAE Hisp. Reginæ Proauia, Filia Alberti Magnanimi. Alia est etiam origo ex MARIA ANNA Auia Augusta, Filia Uvilhelmi Religiosi, & Alberti Magnanimi nepte, vxore Ferdinandi. II. Imperatoris Pij.*

MA-

MARIÆ ANNÆ
Potentissimæ Hispaniarum Reginæ
ORIGO
A Regibus Hungariæ, & Poloniæ.

BELA. 1. Rex Hungariæ anno. 1067.
GEISA. 1. Magnus.
ALMUS.
BELA. II.
BELA. III.
ANDREAS. II.
BELA. IU.
STEPHANUS. U.
MARIA Hæres Regni, vxor Caroli. II. Regis Siciliæ.
CAROLUS Martellus.
CAROBERTUS Rex Hungariæ, cuius vxor Elisabetha.

MIESCO Dux Polon. an. 965.
BOLESLAUS. II. Rex I. Pol.
MIESCO. II.
CASIMIRUS. I.
ULADISLAUS. I.
BOLESLAUS. III.
CASIMIRUS. II.
CUNRADUS Dux Massouiæ.
CASIMIRUS Dux Siradiæ.
ULADISLAUS. II. Cubitalis Rex Polon.
CASIMIRUS. III. Magnus Rex Poloniæ.
ELISABETHA vxor Caroberti Regis Hungariæ.

LUDOUICUS Rex Hung. & Polon. obijt anno. 1382.
HEDUUIGGIS vxor Iagellonis LADISILAI Regis Poloniæ.
CASIMIRUS. IU. Rex Poloniæ.
ULADISLAUS Rex Hung., & Bohemiæ.
ANNA vxor Ferdinandi. I. Imperatoris.
CAROLUS Archidux Austriæ.
FERDINANDUS. II. Pius Impera.
FERDINANDUS. III. Imper.
MARIA, ANNA Hispaniarum Regina.

Eandem originem in materno ordine per ANNAM MAXIMILIANI II. filiam, & PHILIPPI. III. Matrem MARIÆ ANNÆ Hispan. Reginæ Proauiam habebis.

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispan. Reginæ

ORIGO

A Regibus Bohemiæ.

BRETISLAUS Princeps Bohemiæ.
URATISLAUS. I. Rex Bohemiæ.
ULADISLAUS Princeps.
ULADISLAUS. II. Rex.
PRIMISILAUS Ottocarus.
UUINCISLAUS Ottocarus Rex, cuius vxor Cunegundis filia Philippi Imperatoris.
OTTOCARUS Rex.
UUINCESLAUS Senior Rex.
ELISABETHA Uxor Ioannis Regis.
CAROLUS IU. Imperator, & Rex.
SIGISMUNDUS Imperator, & Rex.
ELISABETHA vxor Alberti. II. Austriaci Imperatoris.
ELISABETHA Austriaca Regina vxor Casimiri Regis Poloniæ filia ALBERTI II. Cæs.
ULADISLAUS Rex Hunga. & Bohem.
ANNA vxor Ferdinandi. I. Imperat.
CAROLUS Archidux Austriæ.
FERDINANDUS. II. Pius Imperat.
FERDINANDUS. III.
MARIA ANNA Hispanæ Monarchiæ Regina.

Eandem originẽ inuenies in materno ordine vt in superiori schemate.

MA-

MARIÆ ANNÆ

Potentissimæ Hispaniarum Reginæ

ORIGO

A Burgundiæ Ducibus.

PHILIPPUS Valesius Dux Burgundiæ obijt an. 1404.
IOANNES Intrepidus.
PHILIPPUS Bonus.
CAROLUS Audax.
MARIA vxor Maximiliani. I. Imper. Austriaci.
PHILIPPUS I. Pulcher Hispani. Monarcha.
FERDINANDUS. I. Imperator.
CAROLUS Archidux Austriæ.
FERDINANDUS. II. Pius Imperator.
FERDINANDUS. III. Imperator Inuictissimus.
MARIA ANNA. Hispan. Reg.
In materno ordine eadem origo per CAROLUM V. ad MARIAM ANNAM Hispaniarum Reginam traducitur, & per ANNAM MAXIMILI. II. Cæs. Filiam.

SYNOPSIS GENEALOGICA

A Pharamundo Primo in Germania Francorum Rege

PER AVSTRASIÆ REGES, ET COMITES HAVSPVRGENSES

AD RVDOLPHVM I. MAGNVM

Imperij Austriaci conditorem.

417.

AVstriacæ gentis meridianos splendores, quos nunc suspicimus, augurari poterat orbis terrarum ante mille, ac ducentos annos ex ipsa regiæ auroræ serenitate, quam primi Francorum Reges Merrouingi, nobilis Monarchiæ conditores, attulere. Magnorum fluminum, ac regiorum, infantia fere semper in ipso exortu sublimis est, ijs celsissima incunabula summis montibus, & magnum tumulum Oceano commodante. Nihil in Austriaca familia vnquam humile, priuatumq; fuit a vetustissima Annalium memoria: nihil non excelsum, & Princeps. Magni Reges maximis Imperatoribus, & Monarchis proluserunt, & ipsi Augustæ gentis natales inter prima Christianorum sæculorum initia coronati prodiere.

Francorum Reges a Pharamundo ex quibus Austrasiæ Reges, & comites Hauspurgenses.

PHARAMVNDVS primus in Germania Francorum Rex, nobilem stirpem eduxit, ex qua gentilitia Austriadum arbor ad tantam amplitudinem gloriæ, & potentiæ floruit, ac propagata est. Ante PHARAMVNDVM Francorum Regum caput, regniq; autorem, Franci principes, Duces tantum dicebantur. PHARAMVNDI nepos CLODIOCRINITI, siue vt alij vocant, CLODIONIS filius in fastis Francorum Regum MEROVEVS perhibetur, a quo successores Reges eiusdem regiæ gentis, triginta, Meroningi appellati sunt, producti vsque ad Childericum III. cognomento stupidum. Hoc e gallico solio deiecto, & in cœnobium intruso, extinctum Merouingorum regnum. totum sub vno cucullo sepultum est, monastica corona regiæ fortasse cum fœnore felicitatis succedente, calo in cella reperto, quod difficilius in Aula inuenisset. Pipinus detractum Childerico paludamentum induit, ex Magistro domus regiæ, auctoritate ZACCHARIÆ Romani Pontificis Rex creatus, & regni insignibus inauguratus a S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, sua, suæq; posteritatis fortuna celeberrimus. Illi inter alios successit gallici regni hæres, CAROLVS

an. 751. Kal. Maij

Filius, Imperij occidentalis Gallicogermanici fundator, nominis amplitudine, granditate potentiæ, immensitate felicitatis, excellentia sanctitatis, & Carolinghorum, aliorumq; Imperatorum successione, non magnus tantum, sed maximus.

THEODBERTVS II. CHILDEBERTI eiusdē nominis II. filius inter Merouuingos Francorum Reges decimus septimus, Austrasiæ Rex, Brunichildis Auiæ astu, illuq; excitatis fraudulenter, furioseq; & euentilaris inter ipsum, ac Theodericum fratrem odijs, post varia diuersæ fortunæ ludibria Coloniam aufugit, vbi a familiaribus Sycophantis eius caput recisum, vt olim Magni Pompei ad Caium Iulium Cæsarem, ad Theodericum fratrem regem, auctorem sceleris allatum est. Tres illi filij fuere SIGIBERTVS, GVNTHRANNVS, & LOTHARIVS, quorum duobus vltimis Brunichildis iussu iugulatis, SIGEBERTVS ad Gothfridum, & Genebaldum Franconiæ Duces, quibuscum cognationis vinculo iungebatur, aufugit, ibiq; vsque ad

Comites Hauspurgenses ex quibus Austriaci Cæsares.

obitum Theodorici delituit. SIGEBERTVS exul THEODEBERTI II. Austrasiæ siue Francorum Austrasiorum Regis filius, post decem, & octo annorum exilium, ac latebras mortuo Theodorico a Franconiæ ducibus Dux Alemaniæ restituitur, ea conditione, vt illo titulo contentus, manus a sceptro gallico abstineret.

Primus hic stirps Hauspurgensium Comitum fuit, ex qua Austriadum Cæsarum

Monar-

Monarcharum, Regum, Archiducum, & celebratiſſimorum, virtutum omnium titulis, Heroum, pergerminauit, chara ſuperis, mortalibus veneranda, Chriſtiani nominis hoſtibus formidanda, Imperatrix, Regnatrixq; progènies. SIGOPERTVS ſiquidem continens SIGEBERTI filius ab Auendo caſtro, arce vetuſtiſſima intra Voſagi montana, haud procul a Moſellæ fluminis ripa, ac plimmerianis thermis, in Leucorum, & Sequanorum confinio ſita, primus Hauenſpurgenſis Comitis nomen, & contracta voce Hauſpurgenſis, ſortitus eſt, addito deinde ex magnis virtutibus Dynaſtiæ veluti auctario, continentis cognomento. Succeſſere deinde magnorum nominum Hæredes Nepotes, Comites Hauſpurgenſes, qui maiora etiam poſteris reliquerunt, & ſæcula, quibus vixerunt, & faſtos hauſpergicos illuſtrantes. OTTOPERTVM grauem SIGOPERTI, & Luitbergæ Sueuiæ Ducis filiæ feliciſſimam prolem inſignes per Hercyniam ſyluam victoriæ, & propagati ad Rheni ripas paternæ ditionis fines celebrarunt. BABONEM gratum Ottoperti filium præter iuſtitiæ, ac temperantiæ titulos, quibus ad miraculum floruit, aureum dictum commendat verè princeps, & purpura, ſceptroq; dignum, *turpe eſſe in principe deſiderari a populis, quæ ipſe in alijs Principibus admiratur*. ROTHERIO æquo iuſtiſſimas laudes propter hoc ipſum iuſtitiæ cognomentum omne æuum debet. HETOPRECHTVS Cautus paterni principatus hæres, genus nobilitauit Hæduorum inſigni victoria. RAMPRECHTVS gratioſus a Clotario Gallorum Rege Auſtraſiæ Comitis Palatini, & Landgrauij titulo inſignitus, tanta apud magnum Regem, aliosq; Principes gratia valuit, vt cum reliquis etiam gratioſi titulum nomini addiderit. LVITHARDVS religioſus vrbibus inſtauratis, templiſq; pluribus exædificatis, vtroq; titulo, præter religioſi cognomentum cæli, terræq; ſuffragijs Patris patriæ nomen meruit. GVNTHRANNVS fortis laude bellica inclytus, Landfredum Ducem Sueuiæ, armis domitum, Carolo Martello ſubegit. LVITFRIDVS laudatiſſimus patruo Burgundionum domino chariſſimus, plures prouincias Burgundis Regibus tributarias, tantarum rexit opinione virtutum, vt ſummas laudes, & ipſum laudatiſsimi cognomentum ſibi conciliarit, vnde nec eum ego, etiamſi peruelim, amplius laudare poſſum. HVNFRIDVS honoratus vitæ integritate, & fortitudine animi ab Imperatoribus, comitis prouincialis nomine decoratus, quod vſque ad Arnulphum Cæſarem in hauſpurgica gente manſit, de ſuo etiam honorem honori addidit. GVNTHRANNVS modeſtus, dum Ludouici Regis Galliæ filij, de paterni regni aſſe certarent, vna cum Rudolpho conſanguineo Burgundicum regnum Hauſpurgenſi familiæ reſtituit; eam tamen iunxit fortitudini modeſtiam, vt ab hac potius quam ab illa, modeſti titulum, illius ſæculi fama indiderit. BETZO fortis Carolum Galliarum Regem Germaniam ampliſsimis copijs aggredientem repulit, & Pannones e tarteſſiacis regionibus, poſt occupatam magnam Europæ partem, atque inde Bulgariam, Stiriam, Alſatiamq; vaſtantes debellauit, relato vbique cum maxima victoria fortis cognomento, inter palmas, laureaſq; nato. ROPATO conſtans Betzonis filius aduerſus Ludouicum Germaniam inuadentem, ab Ottone in auxilium accitus, hoſtem potentiſſimum ad fugam ingloriam, imo & probroſam adigens, pannonicaſq; acies ſæpius fundens, pro eodem Ottone ſemper inuictus, & victor iure appellatus eſt a tota Germania conſtans. BERNHERVS liberalis poſt confecta feliciter auita, & paterna bella, populorũ commodis, & pacis ornamentis conſuluit, laureis oleas inſerens, erga templa impensè munificus, & erga milites largus. OTTO prudens amicitijs Principum ſibi conciliatorum præſertim Henrici IV. Imperatoris vſus a prudentia glorioſiſſimum nomen domi, foriſq; habuit. ALBERTVS diues Bernheri filius religioſiſsimus, ac Sapientiſsimus diuitias ſuas in publicum ædium ſacrarum cultum, in priuata pauperum commoda, & in ipſas artes liberales, liberaliter effuſas, mirificè ſua virtute nobilitauit. Sæculum aureum ſuis moribus cudiſſet, niſi aliorum ferrei obſtitiſſent. ALBERTVS Taciturnus nõ niſi a ſilẽtio laudes promeritus; nulla eloquentia ſatis laudari poteſt. ALBERTVS ſapiens, vel vt alij vocant, *exulator*, quia extra patriam fatis ceſſit, & fortitudinis, & prudentiæ titulis, ſapientis nomenclaturam cum tota ſua magnitudine impleuit. In peregrinatiõne hieroſolymitana a nobiliſsimis Diui Ioannis militibus Dux declaratus ingentes mahumetanorum copias parua manu fudit. Hinc poſt variam belli fortunam in Sanctiſsimo Solo, ſeruatore Chriſti, cæleſtis Regis ſanguine purpurato, quod viuens veneratus fuerat, vt æternum veneraretur, tumulari

meruit.

meruit. Auarone sepultus magna christiano exercitu pompa, parentante. Hæc prima ex ALBERTI victorijs Austriaco generi inauguratio ad regnum Hierosolymitanum fuit.

Ex ALBERTO Sapiente ortus est ad orbis terrarum felicitatem RVDOLPHVS I. Magnus Austriaci Imperij conditor tantarum virtutum, quas in Hauspurgicis comitibus suspeximus magnis nominibus coronatus, & ante Imperium Augustus. Fauete Superi

Virg. ecl. 4.

Nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Insigne gentilitiũ Hauspurg. Comitũ.

Ita AVSTRASII REGES ex Francorum Regibus per COMITES HAVSPVRGENSES AVSTRIACI PRINCIPES euaserunt, Austrasia fere dixerim in Austriam migrante, & prouidentia numinis consona nomina non sine felicissimis auspicijs in regnatrice, & Imperatrice gente, iungente. Quanta messis felicitatis germinarit sole occidentalis Imperij, in Hauspurgico coronato Leone, radiante, nemo non videt, qui solem videat. Iam enim Hauspurgica familia Cæsarum, Regumque fæcunda parens sparsa per orbem terrarum in vnam AVSTRIAM domum congregauit Imperia, quam vterq; solis nascentis, ac morientis thalamus illustrat, borealis australisque axis cardine, gemino cælo, firmatam.

Plinius de Italia.

IMPE-



Fed. Agnellus sculpsit

IMPERATOR CÆSAR
RVDOLPHVS I.
MAGNVS
PIVS FELIX AVGVSTVS
REX GERMANIÆ
HAVSPVRGI ET KIBVRGI
COMES
LANDGRAVIVS ALSATIÆ
AVSTRIACI IMPERII CONDITOR.

AGnoſce MARIA ANNA Reginarum maxima, *Maiorum ſoboles Regum, parituraque Reges*, ex magno Imperij Auſtriaci Auctore magnitudinem tuam, & Imperatricis tuæ gentis, ac Regnatorum terrarum orbis poſterorum Herôum. Creſcet tamen etiam ex te hic Cæſarum Gigas, o maxima Heroina, quæ, ſi de ſuo magnus non eſſet, magnitudinis auctoritatem ipſi tuo conciliare poſſes auctori, cum maximi Minores reciprocantibus radijs Sereniſſimæ quoque nobilitatis, præpoſtero grati ſplendoris incremento, magnos etiam Maiores copioſius illuſtrent.

Claud. de Maria Aug.

RVDOLPHVS MAGNVS hic eſt Comes Hauſpurgi Arcis, vel hoc ipſo nomine, quòd prima patria fuerit tanti naſcentis Imperij, & Auguſtale Imperatoriæ familiæ, nunquam non prædicandæ, non Imperator tantum, & Heros, ſed Imperatorum Princeps, & Heroum parens, Auſtriaci Imperij Conditor, & inclyta Stirps Diuûm, ex qua AVSTRIÆ familię nobiliſſima arbor ad beatitatem humani generis, ad Hauſpurgici ſanguinis, & nominis immenſum decus, altis radicibus, quas plurium ſæculorum firmat æternitas geminum orbem complexa, cum vtriuſque Solis radijs explicat nobiles ramos, & ſceptris, ac diadematis pulcherri-

mis suauissimisque felicitatis floribus, ac fructibus fœta, sublime cælo caput effert, tot Imperatorum, Monarcharum, ac Regum, & aliorum magnorum Heroum, atq; Heroidum gloriosissimis nominibus coronata. Ecquis inde miretur RVDOLPHO Hauspurgico in tanti Imperij molitione, non patriæ, sed orbis terrarum Patri, cum magnis illis Augustis, Constantinis, Carolis, Ottonibus, Imperiorum Romani, Græci, Gallici, Germanici, Fundatoribus, eodem orbe terrarum suffragatore, MAGNI cognomentum fuisse impositum, nisi velit Maximum dici? Certè ipsum magni cognomen nomini debitum, amplissimi eiusdem nominis gloriâ ita excessit, vt maximi etiam mereretur infra meritum, magnus ex maximis.

Rudolphi genus. Nihil in RVDOLPHO non magnum, & Augustum fuit etiam ante Imperium. Illum Regium Genus coniunctis paterni, & materni splendoris in vnam lineam, centrumque veluti radijs ex Austrasiæ Regibus a primo vsq; Christianissimo Francorum Rege CLODOVEO, qui subactis Gallijs Christum triumphatorem inuexit, imò & Pharamundo Francorum Regum stirpe per SIGIBERTVM, & ex Austriæ Ducibus, communi cum Bambergensium Principum, & Sueuiæ Ducum familiæ honore, coronataq; semper nobilitate, Imperio pridem destinarat. Non impar Regio Generi eluxit Parentum, & Auorum magnitudo. Pater ALBERTVS Sapiens, Auus ALBERTVS Taciturnus, Proauus ALBERTVS Diues, *Aui, & parentes.* factis consoni gloriosis apellationibus, & alia ex omnium virtutum titulis magna maiorum Comitum Hauspurgensium nomina, quid non pollicebantur RVDOLPHO maiestatis, ac felicitatis, tantorum nominum hæredi, & omnium virtutum Soboli? Mater HEDVVIGGE religiosissima Heroina ALBERTI Comitis Alsatiæ filia, hæresque vnica opulentissimi Landgrauiatus, qui antea etiam Hauspurgicæ familiæ paruerat, iam tunc auspicatissima connubia ex magnis auctoribus transcriptâ in nepotes hæreditaria felicitate explicabat, quam deinde dotalia Regna ita amplificarunt, vt magnas vtriusque Mundi partes, Europam, Asiam, Africam, Americam, imo ipsum vtrunque mundum triumphatore Florido Hymenæo, non Ferreo Marte suis coniugijs vna rerum Domina Domus coniunxerit ad Imperium orbis terrarum. *Austriacorũ coniugiorum felicitas in primis auctoribus.* O AVSTRIAM Gentem Numini dilectam, destinatam Imperijs cum terris natam, cuius coniugijs felicissimis non Reges tantum Regnis, sed Regna Regibus pariuntur, ex ipso partu parêre coacta, Infantibus AVSTRIACIS! Tam claris ortus natalibus Hauspurgicus Austriadum Princeps non degenerem sortitus est a genere animi corporisque splendorem, indolem prorsus Heroicam, ad *1218. Kal. Maij* magna natam auspicem summæ felicitatis, magnanimitatem fundando AVSTRIACO Imperio, Prudentiam regendo, constantiam amplificando prorsus parem, præmonstrante cœlo in aurorâ pellucida Serenissimorum *Rud. Indoles.* titulorum meridiana incrementa, & in oriente primæ ætatis, in RVDOLPHO proludente, Imperio Occidentis, quod ipse suæ genti ge- *Virtutes.* niturus erat. Accessit, ad splendidiorem commendationem omnium virtutum, oris habitus a primis vsque annis cum flore quodam Maiestatis *Forma.* amabili, dignus Imperio, vt pari cum Augusto Magno formâ donaretur RVDOLPHVS qui in Principem Cæsarum Augustum crescebat, & Magnum.

Pri-

Prima militis simul, & Imperatoris rudimenta posuit sub Friderico II. tum in Aulâ Cæsareâ tum in bellicis expeditionibus, ad omnem pacatæ sapientiæ, armatæque fortitudinis granditatem. Visus est sub humanissimo prius Imperatore, tum vbi ab orthodoxâ Romanâ Ecclesiâ defecit, cum quâ Romani Imperij communis solet esse felicitas, tyrannicæ felicitatis coronato monstro erudiri ad triumphos sub Chirone Centauro victor Austriacus Achilles, & formari in Herôem. Friderico fatis concedente Primislai. III. Ottocari Bohemiæ Regis, qui & Regnum Herciniâ syluâ fere conclusum, a Balthico mari in Adriæ sinum explicauerat, & magno suo nomine totum Septentrionem impleuerat Regiæ Præfectus, ita se gessit, vt deinde meruerit ipsi Ottocaro Regi præfici: Fortuna leui manu versante rotam rerum dominam, & solemne suum ὕστερον πρότερον exhibente. Etiam in amphitheatro cælesti scenici fortunæ ludi exhibentur, & vnius diei catastrophe idem sidus, & solem phosphorus præit, & sequitur Hesperus. Non multò post aduersùm Belam Ottocaro infestum Bohemici regni æmulum, equitum ductor ingentis victoriæ momentum Regi extitit, cæpitque magnus haberi RVDOLPHVS, cum nutantis belli grandem fortunam suis visus est humeris sustinere. Inde bellicâ laude florens ad Hauspurgensem arcem regressus breui futuram publicam mundi Acropolim, vicinos Dynastas sibi infensos partim nominis famâ, innocenti, partim armorum vi, cruentâ victoriâ, subegit.

In Italia 1236.

Adolescentia sub Friderico II. Cæs. & in Ottocari Bohemiæ Regis aula.

Assurgenti per hosce victoriarum gradus adhuc citra fortunam Regiam Toparchæ Hauspurgensi ad sublime fastigium rerum humanarum, ne quid in eo esset non magnum, ingentia ad Imperium affulsere auspicia de cælo, ex adoratione AVGVSTISSIMI SACRAMENTI initiato ad adoratam a populis Augusti dignitatem: nimirum Austriacos

terræ dominos, pelagique futuros
Immenso decuit rerum de Principe nasci.

Prima ad Imperiũ auspicia ex cultu Augustiss. Sacram.

Cl. de Theod. Aug. gẽte

In cæli fastis insignis historia sæculorum memoriam beabit. Occurrit forte studio venationis equitanti RVDOLPHO, cænoso solo, & pluuio cælo, Sacerdos pedes, morienti iter ad immortalitatem paranti in sacrâ Synaxi diuini viatici cælestes Lautitias ferens. Illicò ratus id quod erat, indignum esse Deum in Deifero homine tam miserè peregrinari, & candidum pretiosumque margaritum, cuius pretio regnum felicitatis, imò ipsa nobis venalis felix diuinitas est, in luto iacere, desiliens, equo sacro homini dono dato, quando imperatoriâ non potest augustiori, equestri saltem pompâ excipit ferculum triumphale, nunquam luculentior eques, quam cum hic ex equite, pedes lutulentus. O factum verè regium purpurâ dignum, & sceptro, & dum cælum stabit, atque Austriaca domus fundamento huic innixa cælesti, non auro tantum, sed astris, atque omnium sæculorum ambitu coronandum! Bene est, beatèque, imò & basilicè. Eucharisticis sacris RVDOLPHVS consecratur Rex, & in Principe genealogiæ regalis, tota regnatrix magnorum Austriadum posteritas. Accedit auspicijs oraculum plusquam sibyllinum sacræ Virginis, Dei sponsi nomine, dicentis, habitis in cælo comitijs, Comiti Hauspurgensi, pro humillimo comitatu ad imperatorium rerum apicem electo, donari,

quia Euchariſtiam ſummâ pietate coluit, Euchariſticum omnium gratiarum.

Detumeſce magne Romulidum Auguſte, cui dextri fulminis fortuitus iactus, fortuna veluti principalis, iecit imperij fundamenta: magnus Auſtriadum Auguſtus toto Deo fulminali, & igneo inauguratur, tunc maximo cum videtur minimus, nec ſupra cæleſtes orbes magnum per inane ſpatiatur, ſed Euchariſtico epicyclo clauditur. Quis iam neget regium eſſe Deum venerari, cum Proceres ex Dei veneratione aſſurgant in Cæſares, alternantibus quaſi radijs, & reflexo venerationis honore in auctorem? Auſpice Euchariſtiâ Auſtriacorum Imperiorum, & Regnorum, quis non expectet Imperia, & Regna gratiarum quæ in ipſo tuo nomine MARIA ANNA elucent, Principeſque hominibus, & ſuperis gratioſiſſimos? Quid non obligatæ Religionis ſperetur a magnis Auſtriacis, inauguratis maximi religione SACRAMENTI? Ita prima infantia Auſtriaci Imperij, tot deinde maximorum Regum Romanorum, Hiſpanorum, Hungarorum, Bohemorum mater, ac nutrix lactari prius debuit mamillâ Regum, nimirum Diuinitate ipsâ totâ lacteâ in libo cæleſti. Macte RVDOLPHE Heros religioſiſſime, inſtillabis e ſtirpe in Euchariſtico ſucco Auſtriæ familiæ arbori auguſtiſſimæ nobile alimentum, quo ſemper viuat, & floreat, ac triumphale antidotum aduerſus hæreſim huic Diuino nectari, ſi fieri poſſet, inficiendo ſacrilega venena ructantem. Ibit miraculum iſtud in totam tuam gentem. Ibit hæc virtus agitata in ſuccedaneos Herôas. Ardebit o MAGNE exemplo tuo coronata poſteritas. Adiget ſe FERDINANDVS II. Pius maximus per aſpera ſiluarum, & in ruſticano mapali humi abiectâ totius Imperij maieſtate, cælitum hunc panem adorabit, a quo in te Principe Imperatricis gentis initiata eſt ad Imperium Hauſpurgica familia. Hoc veræ Palladis, diuinæ nimirum, genitæ ſapientiæ palladio, ſeruabit MAXIMILIANVS I. hanc, cuius tu fundamenta iacis Auſtrij Imperij magnitudinem terrarum orbi fere parem. Præibit FERDINANDVS I. ante Euchariſticum manna dum arca vera feretur legislatrix, fronte auguſtâ floribus coronatâ, pium carmen emodulans, & de hæreticopoliticorum (non libet hic nomina iſta diuidere, quæ rarò ſeiunguntur) ſuperbo ſupercilio triumphabit. Aperto capite, cuius nutibus, nutans orbis terrarum regebatur PHILIPPVS II. ſolem de cælo æſtiuis flammis illud euerberantem, dum comitabitur circumductum in feſto agmine diuinum epulum, negabit eſſe inhumanum. vbi tam humanus eſt Deus, reijcietque vmbellam, quam ſuggerent proceres palatini. Et certe ſine vmbrâ merebatur tam Luculenta Auſtriaci Monarchæ pietas in aperto eſſe, ſub gemino Sole poſteritati omnium ſæculorum. Extinguet lætabunda ELEONORA CAROLI Archiducis filia FERDINANDI II. ſoror, & Primi neptis, quod ſupererat languentium oculorum in bono lumine Euchariſtici Solis, gratulans ſibi poſt tantam diem, ipſam etiam æternam noctem cæcitatis, quaſi dedignante pupillâ poſt immortalem illam lucem omne aliud noſtræ Cimmeriæ mortale ſpectaculum. Hoc MARIA ANNA Auſtriacæ Heroinæ, aliarumque, pietatis Hæres, & ſanguinis, Auſtrij tui Gedeones, *ſubcinericij* panis exter-

exterminatore exercituum gladio, sæpiùs fulminarunt: hâc cedri medullâ dapsili nimirum immortalitate pascuntur Austriades Aquilæ tuæ victricibus magnis alis orbem geminum sæpius emensæ. Hâc ambrosiâ augustissimâ conuiuabitur in æuum beatissimum Augusta Diuûm tuorum Cæsarum domus. Ex hâc cortinâ latentis Dei oracula exorant Herôes tui, quibus maria, terræque regantur: hoc signo auspice fortiter a tuis pugnatur: hoc vexillo duce feliciter vincitur: hâc semper virenti cælestis Paradisi laureâ gloriosissimè triumphatur: hæc militi distribuitur annona de cælo: hoc ferculum triumphale circumducitur: hæc belli tessera indicitur. Hoc demum est gentilitium magnæ tuæ gentis emblema, hoc insigne consiliorum, & fastorum Austriadum, hic panis thaumaturgus patrator miraculorum qui orbem tuis seruabit, ac tuos tibi.

Interim auspicijs ingẽtibus promissum, oraculo Diuino firmatum, non sine magnis prodigijs cælitus imperium RVDOLPHO datur. Instar miraculi fuit ipse Cæsar e Comite Hauspurgensi, scilicet maximus orbis terræ principatus priuato Toparchæ demandatus, dum Romani Imperij Monarchia in Tetrarchiam frustillatim discerpta, quatuor Imperatorum nomina vicennali interregno post Friderici II. obitum ægrè sustinebat, Corrado Augusto, Friderici filio, Richardo Ioannis Angliæ Regis fratre, Guillelmo Hollandiæ Comite, & Alphonso Castellæ Rege, regium nomen veluti prædam diripientibus. Expugnatum est herculeo robore consiliorum, & virium monstrosum imperium quadriceps, ipso Alphonso Castellano cuius iura potiora erant RVDOLPHVM summis honoribus decorante, ac demum deferente insignia Germanici regni. Iam tunc cælum mutuis præscijs amoribus (Omnes amores vatidicos scias) inter Austriacum RVDOLPHVM, & Castellanum Alphonsum felicissimi coniugij PHILIPPI primi pulchri, cum IOANNA FERDINANDI, & ISABELLÆ Catholicorum Regum filiâ, ac totius in CAROLO V. Maximo Hispanæ Monarchiæ, familiæ Hauspurgicæ arbori inserendæ semina iaciebat; incipiebatque ille cedere peregrino Imperio Austriæ regnatrici, cuius nepotes cessuri erant patrijs regnis. Itaque in obsidione Basileensi communi Septemuirûm suffragio RVDOLPHVS Rex Romanorum salutatus Francofurti, ante Basileam feliciter captam Romanum Imperium, & orbem terrarum in vrbe felicius expugnauit, quasi de suo regio nomine Basilea Regem crearet, dum vinceretur, nec minus a Basileensi expugnatione RVDOLPHVS Rex, quam a Numantiâ victâ Romanus ille Heros Numantinus dici meruerit. Aliquando enim muta nomina erudiente Deo facundè ferunt auguria de rebus.

Eligitur in Cæsarē absens in obsidione basileensi

1273.

Sed gloriosiora Aquisgranensem inaugurationem in Cæsarem prodigia comitantur. Aurea crux decussatis vtrinque radijs delineata, stellulisque veluti picta, & illuminata supra RVDOLPHI coronatum caput in ipsa inauguratione irradiat. Adoro dominatorem horoscopum nascentis Austriaci imperij, stellantem crucem. Agnosco eandem australis cœli, & Austrij Imperij Cynosuram. Vtinam fluctuans orbis terrarum, ac pene naufragus illam sequeretur, iam portum teneret omni periculo defuncta communis felicitas. Propagandi etiam non solum ad vtrunque solis

30. Sept.

Splendida crux in ipsa inauguratione supra caput irradiat.

lis orientis, & occidentis thalamum, sed ab arctico, ad antarcticum cardinem cruce sidereâ insignem, ab Austriacâ potentiá crucis regni luculentum auspicium fuit. Illustri cælitum fauore australi antarcticâ cruce armantur Austriades aduersus arctoum anguem, & quidquid in solio Aquilonis cum hespero verius dixerim æternæ noctis quàm lucifero, Deo inimicum, & Austrijs, regnat. Verùm crux e cælo irradians alterius crucis parelium fuit, geminæ crucis fulgentissimo Sole felicem illam diem Austrijs Regnatoribus natalem cum imperio lucis ex æquo diuidente. Cum enim paludati, & coronati Cæsaris reginæ manui sceptrum non occurreret, arreptá cruce pijssimus Imperator, en inquit sceptrum: in hoc Comes Hanspurgensis regnabit: Addo ego, & vincet cum magno Constantino RVDOLPHVS MAGNVS atque in ipso coronata posteritas crucis auspicijs initiata ad triumphos. En quo titulo, & sceptro regnatis Austriaci Cæsares, magnique gentis augustæ Monarchæ? Eodem prorsus quo Deus Imperator mundum vicit rebellantem, suosque hostes fregit.

Arripit crucem pro sceptro dum insignibus Cæsareis decoratur.

Auspicatò etiam inauguratio in diem Angelorum Principi Michaeli sacrum incidit, eadem die primos fastos Imperij Austriaci, & cælitis exercitus Principis triumphos cælo celebrante, atque ita Austriades Cæsares in publicos hæreticorum Dei hostium triumphatores, atque orthodoxæ ecclesiæ propugnatores geminatis augustis crucis insignibus instituente. Visa est cælestium plausuum echo fieri in terris, & ibi coli, hic initiari sacrorum bellorum Imperator. Iacienda erat moles Austriacæ potentiæ quæ totum fere terrarum orbem sustineret, nec minoribus debuit fundari prodigijs. Ita in summo omnium plausu Principum, & populorum Friderico II. successit RVDOLPHVS. I. euersori veteris Imperij, noui fundator, pessimo Domitiano Traianus optimus, Alphonso Castellæ Rege, qui iure imperandi cesserat, tranquillum Neruam agente, ac veluti Austriacum adoptante. Prima nascentis Imperij gloria obsequium Summi Pontificis Gregorij Decimi fuit, & iure in eo Cæsare, cui crux pro sceptro imperatricem manum regebat, augusta legatione ad eius adoratos pedes abiecto Imperio, firmatoque ea numinis vicaria auctoritate qua in Concilio Lugdunensi publica orbi terrarum iura dabat. Hæc etiamnum gloria orthodoxæ fidei, & catholici nominis prima versat Austriacorum Regnatorum curas principales. Cæsaream religionem coronauit munificentia, cum rebus Imperij compositis transmisso ad regios nepotes piæ liberalitatis exemplo, Vaticano regno Bononiam vrbem pacis, bellique studijs florentissimam, Exarchatum Rauennatem, celeberrimam orientalis Imperij in occidente sedem, & opulentissimas prouincias Aemiliam, ac Flaminiam redonauit. Hinc a RVDOLPHO iam Cæsare, cuius virtutes etiam ipsæ Principes, & augustiores purpuram induerant ingentibus victoriarum incrementis nobilitantur initia dignitatis. Dux VVirtembergius, Marchio Badensis, Comites Neoburgensis, Friburgensis, & Palatinus, alijque Germaniæ Reguli, Fridericianæ reliquiæ, propagata vltra iuris sui fines dominatione victores mira celeritate opprimuntur, & in ordinem rediguntur, mirante Europá totum fere septentrionem

Inauguratur die S. Michaeli sacro.

Fuit ille ex Illustriss. Vicecomitū familia Mediolanensis.

Varia post aditū Imperiū victoria.

e suis

e suis emotum sedibus, vnius victrice manu, tantâ felicitate componi. Eodem quasi cursu victoriarum Heluetiorum aliquas arces expugnat, præsidijs in potestatem adductis, & Boicam prædando simul, & præliando subigit.

Ab his velitationibus iustum bellum in Austriam transfertur, & Primislâo Ottocaro Bohemiæ Regi, nisi Austria, alijsque Prouincijs iniustè imperio ereptis cedat, per Henricum Norimbergæ Burgrauium bellum denunciatur. Solo belli apparatu superatur tot palmarū victor, & sui nominis nobilitate prima laus, non solū Bohemici, sed & Germanici regni, nisi in RVDOLPHVM incidisset: Austriâ spoliatur, Carnioliâ, Stiriâ Carinthiâ, alijsque conterminis principatibus. Sola Bohemia tanquam clienti Imperij conceditur. In hac incruentâ victoriâ Ottocariana superbia habuit vnde mirum in modum detumesceret. Dum enim supplex de genibus iuraret Bohemus Cæsari fidem, solutis artis ingenio, theatralium aulæorum more imperatorij tentorij velarijs vtrique exercitui spectatori, quod minimè volebat Ottocarus scenicum fortunæ ludum exhibuit, & fabulam sui. Sed nimis pia manu fax tot bellorum incendiaria extincta, ventilatis odijs statim reuixit, exprobrante, vt ferunt, ignauiam vxore Reginâ supra sexum suum feroci, & Amazoniâ audaciâ, quando suas Amazones in Libussâ regnatrice Bohemicum regnum habuisset, se virum pollicente, Ottocariano exercitui, cui fœmina fuerat maritus. In Ottocarum fædifragum RVDOLPHVS iunctis Cæsariano militi auxilijs Hungaricis, Ductore Ladislaô Stephani Regis filio, iterum mouit. Iuliano more venit, vidit, vicit, primus Austriadum Cæsar, paucis cæsareis amissis, paucis regijs seruatis, Rege suâ cęde Bohemorum cladem geminante, & cumulante victoriam. Ottocarus in strage suorum cecidit, ostendens quam rarò facti non pœnitendi dux sit fœmina viris, & quam infelicia sint maritis fere semper Amazonia ista iratarum vxorum consilia. Initium victoriæ fuit imò, & coronamentum imploratum elatâ voce ab equite Basileensi MAGNÆ DEIPARÆ, quæ religiosæ gentis mater semper fuit, & nutrix, triumphale nomen. Et sane decebat Austriacam felicitatem omnibus religionis præsidijs stabiliri, initiatamque Eucharisticis auspicijs ad Imperium, cælestibus inauguratam prodigijs, Marianis etiam victorijs firmari, Austriâque, ac toto Regio Austriadum patrimonio ditari.

Bellum ad versus Ottocarum.

Ottocariana victoria implorato Deiparæ nomine.

1278. Kal. Oct.

Austria siquidem victoriæ præmium, ac triumphus fuit, quam sibi suisque æternùm hoc prælio RVDOLPHVS asseruit, triumphalis illa terrarum domitrix sub Pannoniæ veteris nomine, magnorum Cæsarum Aureliani, Probi, Maximiani, Decij, Iouiani, Valentiniani, Valentis, Gratiani, & multò magis nostrorum Austriadum natalibus supra omnem prouinciarum faustitatem prædicanda. Præluxit Rex Bohemiæ victus regno vincendo. Debellauit RVDOLPHVS I. in Austria Bohemum Regem. Maiora patrabit FERDINANDVS. II. Austriacus in Bohemia rebellante.

Austria in victoria præmium cedit.

Regis potentissimi victor, & veri, facili negotio imaginarium Regis spectrum disiecit pseudoFridericum scenicum Imperatorem, qui bellè personam Friderici II. dudum in Apuliâ defuncti induens, multis Germaniæ

Pseudo Friderici impostura, & mors.

maniæ populis, ex genuino ſuo candore omnia inſpicientibus, impoſuerat. Noueſij captum comburi publicè iuſſit, non aliâ luce dignum, quam hac carnifice, Regem tantum, & illuſtrem per ſceleris imposturam, felicem tamen in orbis theatro fabulæ ſuæ actorem, & vitæ, cum nobilem mortem ſub laruâ Imperatoris oppetijt. Ottocariano bello confecto, & ſummâ clementiæ laude Vincislâo Ottocari filio ſolio paterno, ac Reipublicæ Bohemorum reſtituto, Italia vicarijs imperijs per Rudolphum Hoenneccium componitur: Burgundia cum Ottone eius Regulo, & Reginaldo montis Belgradi Comite, victis captiſque Belgrado, & Veſuntione, in poteſtatem Cæſaris venit: Thuringiæ, ac Luſatiæ populi ſecundis prælijs edomantur: centum fere arces nobilium prædonum, vt ſecuritas imperij prouincijs reddatur, a centimano pene dixerim victore expugnantur, Chriſtiano Hercule deplumante infames Harpyas, nidoſque, quorum fiduciâ peccauerant, deſtruente. Etiam illo ſæculo inter equeſtris dignitatis decora latrocinandi licentia ab aliquibus numerabatur, ſpuria proles, impiæ nobilitatis.

Diuerſis ex hoſtibus relata victoria.

1290.

Tandem Germaniâ totâ pacatâ Principi triumphatori ſe ſubmittente, totâque Europâ Auſtriam venerante, tanquam occidentalis Imperij caput, RVDOLPHVS, qui victurus non annis, ſed victorijs orbi terrarum cælitus datus fuerat, cum nullus eſſet hoſtis, quem vinceret, viuere deſijt. Aliquibus ante obitum annis tranſmiſſo in totam Auſtriadum poſteritatem hæreditario MAGNI titulo, vt reliquum Auſtriacum patrimoniũ magnificè diuideret, veluti Romanum, imperium ſui & Reipublicæ nomine, in Auguſtanis comitijs triumuiris filijs ex æquo diuiſit. Auſtriam ALBERTO natu maximo Imperij deinde hæredi iure dotali Iſabellæ vxoris alioquin debitam, cum Stiriâ, Carnioliâ, & dominio Vindorum Marchæ adiudicauit. Prima hæc Iſabella Carinthiam prouinciam Alberto, feret alia Luſitana Carolo dotalem orbem, & poſt Auſtriam Hiſpaniæ feliciter ſemper iunctam, ſuis nuptijs Heſperio occidenti, Indicum coniugabit orientem. Aliarum prouinciarum ampliſſimum patrimonium alijs duobus liberis ex ſemiſſe diuiſit: attributis MEINARDO natu alteri Carinthiæ Ducatu, Comitatu Tyrolenſi, & Marchiâ Taruiſiana: RVDOLPHO natu tertio Ducatu Sueniæ, Landgrauiatu Alſatiæ, & Ergouiæ Comitatu. Fundati mirum in modum, amplificatique Auſtriaci Imperij auctarium fuit numerus prolis auguſtæ. Summa felicitas niſi ſoboleſcat, & perennet, ſterilis, tota breui occidet, fæcunda viuet ſuperſtes in ſobole, & aliam ex alia pariens, æuum trahet. Plures ex RVDOLPHI liberis regio diademate in faſtis Auſtriacis radiarunt, ALBERTVS Romano RVDOLPHVS vt aliquibus placet Bohemico, & IVTHA, CATHARINA Hungarico, CLEMENTIA Hungarico ſimul & Neapolitano, coronatâ pluribus regnis prole, in fæcundam poſteritatem Regum, in immenſum ſoboleſcente. Inſerta iam tunc primo ſtipiti Hungariæ Bohemiæ, ac Neapolis Regna in Auſtriacam arborem feliciter coaluerunt.

Obitus 1291 Ka. Aug. ætat. 73. Imp. 18.

Aduerte huc oculos terrarum orbis, & nega ſi potes Auſtriaci conditorem Imperij RVDOLPHVM magnum fuiſſe. Illum cum Iulio Cæ-

ſarum

sarum primo conferrem, nisi quem æquauit felicitate, pietate longe superasset. Iulius vt orbi Romano imperaret Romam euertit, & orbem in vrbe rerum dominâ, Imperij parricida, non parens, ex ruinis reipublicæ fundator Imperij. Rudolphus vbique magnus, dum Austrium condidit, Romanum seruauit Imperium, dictus illius ætatis sapientum suffragio, pupilli Imperij Romani tutor; vnius nimirum institutor, & restitutor alterius. Imò infra meritum Augustus Austriadum apellabitur; nam omnem Imperatoriam gloriam egressus ad Heroum famam peruenit, votis ipsis maior, & summæ clementiæ laude, numini etiam imitatione simillimus. Eius apophtegma fertur inter cætera aureo stilo, cedro, siue potius aureis stellis, cælo scribendum: se nunquam ex nimiá clementiâ doluisse. Ex illorum Heroum numero fuit, quos statis temporibus orbis terrarum bono, diuinitus datos, veluti noua in cælo sidera in terris stellantia, stupore defixi cernimus. In eo virtus & felicitas innocenti fere dixerim duello, vt magnum crearent, certarunt; virtus æterna basis, cui Austriaci insideret aureus colossus Imperij; felicitas primigenea, & hæreditaria generi supra omnem imperatoriam huc vsque familiam, Iuliam Flauiam, Floram, Carolingham, Paleologam, imperijs nato, atque in æuum nascituro. Magnum quidem est in te RVDOLPHE, quod tot numeres triumphos, quot annos regnatricis vitæ, multò plures Germaniæ Regulos debellaueris, paulò pauciores pepereris Hauspurgicæ tuæ familiæ Principatus, vnius gladij beneficio, cælo tuis stipendijs militante, ac tot prouinciarum titulos in vnum caput congerente; Illud tamen tibi maximum est o magne Heros, quod vnus suffeceris Austriacæ domui, magnum illius instar in te spectandum exhibeas, & quidquid supra quatuor sæcula Austriaco nomine censetur Te Patrem apellet, Tibi vitam & immortalitatem acceptam referat. Tibi debemus de omni hominum genere meritissimo pijssimorum Principum populum, Cæsarum fortissimorum collegium, sapientissimorum Regum curiam, Heroum inuictissimorum exercitum, Heroidum Augustissimarum gynecæum, ac demum beneficio fundati Austrij Imperij publicam orbis terrarum felicitatem, & auream ætatem Austriadum sæculorum. Ita a magno Heroe auspicibus sacramentis, auguribus oraculis, prodigijs in cruce stellanti cælitus demissá enitentibus, MARIANA tutelâ defensum, regijs coniugijs coronatum, innumerabilibus victorijs in solio firmatum, triumphisque laureatum, natum est tibi ac tuis MARIA ANNA Hispaniarum Regina potentissima Austriacum Imperium. Vestram fidem o mortales! vestram etiam o superi, qui nostra e cælo in sublimi speculâ veritatis spectatis!

Quis venerabilior sanguis, quæ maior origo? *Claud. de Honorio Aug.*

Tantæ molis erat Austriacum Imperium condere, & gentem rerum dominam propagare!

Igneus est ollis vigor, & cælestis origo. *Virg.*

RVDOLPHVS I. MAGNVS

Titulus

Adesto orbis Auditor:
Amplissimo humanæ Reipublicæ Senatusconsulto
RUDOLPHI nomini additur magni cognomentum.
Ubi nomen orbem terrarum impleuit,
Orbi, & sibi par cognomentum adoptauit.
Primus in fastis Austriadum Cæsarum:
Nulli factis Romanorum secundus,
Pater patriæ, rerum Dominus
Cur non Augustus dicatur, & magnus?
Imò idem Patriæ pater, & fulminator hostium,
Augustum, bis magnus, Alexandro iunxit,
Cæsarum Alexander,
Augustus Regum.
Magni Constantini, virtute non minor,
Caroli magni felicitate,
Magni Ottonis potentia;
Dici etiam ter magnus posset.
In hoc quoque omnes magnos vicit RUDOLPHUS
Quod cum magnus in se esse desijt, cæpit maior in suis esse:
Occidentis Solis purpura, & orientis illustris:
Solio gemini orbis sublimis:
Æui sceptro potens:
Europa, Asia, Aphrica, America, toto Zodiaco coronatus.
Si Magni titulum non haberet,
Imperatrix posteritas, & Regnatrix conferre posset.
Sicuti fere semper magna, non nisi e maximis pariuntur,
Sic non nisi e magnis oriuntur maxima.
Ita in dissyllabo titulo,
Omnium titulorum syllabus numeratur,

Et

Et immensa panegyris,
In solo tituli grandescit puncto.
Age ergo fama Herium tubicina,
Quia Abilam, & Calpem in duabus tituli syllabis attigisti,
Suspende ad hoc non plus vltra *stupentem tubam,*
Et si potes linguax, & mulier, sile.

SYNOPSIS GENEALOGICA A RVDOLPHO I. MAGNO, AD ALBERTVM I. Triumphatorem.

EX RVDOLPHO I. Magno Genearcha Austriadum Cæsarum & ANNA Sueua filia Alberti Comitis Hoenburgensis nati sunt

RVDOLPHVS
HERMANNVS
FRIDERICVS
ALBERTVS
MEINHARDVS
RVDOLPHVS ALTER
EVPHEMIA
GVTHA SIVE IVTHA
MITHILDIS
AGNES
CATHARINA
HEDVVIGGIS
CLEMENTIA

Rudolphum aliqui chronographi ad solium Bohemicum euehunt; sed cum diligentiores rerum Bohemicarum scriptores RVDOLPHVM Mitem ALBERTI Cæsaris filium primum Regem Bohemiæ Austriacum, inter suos numerent, illorum standum est sententiæ, quos similitudo nominis non abduxit a vero. Hic cum HERMANNO, & FRIDERICO obijt ante Patrem. EVPHEMIA sanctimonialis in Monasterio Tulnensi primam augusti generis gloriam cælesti hymenæo consecrauit. GVTHA, siue IVTHA VVinceslai cognomento pij Ottocari filij vxor, solij, thalamique regij socia, mariti pietatem sua geminauit. MITHILDIS Ludouico seniori Duci Bauariæ in matrimonium elocata, ei Ludouicum. V. Imperatorem peperit, eodem tempore duorum Cæsarum FRIDERICI Austriaci, & Ludouici Bauari dulcissimis titulis augusta mater, & amita, quod nulli fortasse post natum Romanum Imperium contigit. AGNETEM vxorem accepit Albertus Saxo Septemuir, CATHARINAM Otto Bauariæ Dux, electus Rex Hungariæ, HEDVVIGGEM Otto Marchio Brandeburgensis, CLEMENTIAM Carolus Martellus Neapolis & Hungariæ Rex.

Alijs duodecim ALBERTVS Præfectus est veluti Sol in Zodiaco Austriaco, inter duodecim signa cælestia terris imperans, sanguinis, nominis & Imperij paterni hæres, Austriadum Cæsarum Secundus. ANNA Augusta tantæ prolis mater, & prima stirps cum RVDOLPHO Magno Austriadum Heroum, atque Heroidum, tibi nomine MARIA ANNA prælusit: vtinam regiæ sobolis felicitate vincatur.

IMPE-



Fed. [illegible] sculpsit

IMPERATOR CÆSAR
ALBERTVS I.
TRIVMPHATOR.
PIVS, FELIX, AVGVSTVS
REX GERMANIÆ,
ARCHIDVX AVSTRIÆ,
DVX STIRIÆ,
LANDGRAVIVS ALSATIÆ
DOMINVS CARNIOLIÆ,
VINDORVM MARCHÆ, PORTVS NAONIS,
COMES HAVSPVRGI &c.

IN partem triumphorum etiam tu venis MARIA ANNA magni Cæsaris Filia maximi Regum sponsa, cum hi in Austriacam dotem tibi cedant, & serenissimum auspicium regiæ posteritatis, in cuius votis orbis terrarum ardet. Auitæ laureæ nepotibus vernant, etiam in ære vetusto,

semperq; renata
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur,
Continuum simili seruantia lege tenorem.

Claud. de P. & O. C.

Excipe igitur tu quoque triumphalis Heroina inter victrices tuas Aquilas, literata Tuorum venerandis nominibus labara, & lemniscata trophea austriadum victoriarum, paludatum palmatâ, laureâque radiantem triumphatorem Augustum

ſtum Auſtriacum. Si eum tibi ſuis coloribus non exhibuero male laudatum, memineris triumphatoribus conuiciatorem datum, non laudatorem.

ALBERTVS is eſt RVDOLPHI Magni Filius, primus connubiali iure ſanctiſſimo, Principum imperij auctoritate, Prouinciæ precibus, procerum Prouincialium ſuffragijs, populorum votis, Archidux Auſtriæ, & ex Auſtraſio Principe, prouidentiâ numinis conſona nomina iungente, Auſtriacus Princeps, inter bella victorijs, inter victorias triumphis natus. Sicuti Magni Cæſaris paternum ſolium non niſi magnus implere, ita victorioſiſſimi non niſi triumphator poterat adire. Prima ſpes ad imperium fuit ipſa naſcendi maieſtas: RVDOLPHVM habuiſſe parentem, & Auguſtum, & Heroem. Etenim facile, ſi ſemel eductus fuerit, felici terræ communis parentis puerperio, totus magnæ ſtirpis honor continuatur in thyrſo, & gemmaſcens diuite ſucco nobilis vena, in non degeneres flores, fructuſque læta progerminat. Princeps omnium felicitas eſt, naſci felicem, lactari in purpurâ, perreptare per ſolia, inter faſcium, ſceptrorumque magna crepundia luſitare, aſpicientem ſuſpici, coli loquentem, ridentem adorari, & non quęſitam obuiam habere naſcendi ſorte, cum maieſtate fortunam. Auxere magnificam ſpem generis in ALBERTO Pater, non modo Imperator, ſed triumphalis, compoſita ab eodem vicarijs imperijs Italia, pacata felicibus armis Germania, noua fundati Auſtrij imperij ad tantam amplitudinem gloria, ſummi Pontificis, & purpurati ſenatus gratia, Procerum clientelæ, Regum cognationes, nomen paternum RVDOLPHI Cæſaris vbique terrarum militibus gratioſum, principibus charum, omnibus glorioſiſſimum. Acceſſit tandem magnum inclytæ ſpei firmamentum a bellicâ virtute, cuius ſibi ingentem famam in paternis victorijs regius Adoleſcens conciliauerat, ſortitus ſupra Themiſtoclis fortunam domi trophæa Auſtriaca, ipſi Miltiadi inuidenda, quibus Magiſtris in triumphatorem erudiretur.

Spes ad imperium

In Bohemicâ aduerſus Ottocarum Regem victoriâ, cuius beneficio Hauſpurgica Familia in Auſtriâ regnat, leuâ crucem, è quâ patibulati Chriſti imago pendebat, dexterâ gladium bellatorem ſtringens, vtrâque victor in denſiſſimos Hoſtium globos irruens, ea edidit piæ fortitudinis portenta, vt & Parentem Auguſtum, quem ingentis facinoris ſpectatorem, laudatorem que habebat, & omnem Cæſarianum militem in admirationem ſui traxerit, viſaque fuerit diuina quędam vis cælitus ineſſe pugnanti. Ita Auſtriacum imperium è cœlo in cruce radiante delapſum, crucis ſceptro a RVDOLPHO conditore inſtitutum, auſpicatiſſimâ eiuſdem crucis victoriâ in primo eiuſdem conſeruatore ALBERTO ſtabilitur, vt ſcias magnam molem, & admirabilem, æternamque ſtructuram Auſtriaci imperij, vnico fere crucis, & catholici nominis glorioſiſſimi fundamento è cęlo in terris firmari. In quo veneratus eſt orbis terrarum ſummæ prouidentiæ conſilium, quæ auſpice cruce opponens regno impietatis pijſſimos Imperatores, Imperium occidentis fulgentiſſimo ſoli Auſtriacæ familiæ regendum dedit, dum Othomanicę familię infenſiſſima crucis glorię Luna

1278. In prælio aduerſus Ottocarū exemplū Sūmæ pietatis Alb. præbet.

Imperante in occidente Alberto ſedē imperij figit in oriēte Othomana familia.

primo

primò imperiũ Orientis occupauit, & occidẽtes fidei aurora populos sub iugum barbaricum misit. Extructo augustissimæ cruci imperij Austriaci fundatrici ex victoriæ Ottocarianæ manubijs magnificentissimo templo, noua Germanici Regni arce, & adito Austriæ Principatu, in Hungariam mouens, Gungensium Comitum infestis armis Austriæ fines inuadentiũ iniurias ita generosis vindicijs vltus est, vt arces expugnans, euertensque ne quidem ipsa reliquerit iniuriarum munimenta. Et certe ista illustrissimorum prædonum potius latrocinia, quam bella, diu peregrinari non possunt, & solem apertum pati, breui semper interitura, si Patriâ careant, & asyli vmbrâ. Hostibus proceribus in Hungariâ sublatis, Regis amicitiâ sibi conciliaturus Agnetem Filiam Hungaro Regi in Matrimonium elocat, iisdemque nuptijs Austriam Hungariæ maritat, communi deinde spe conceptâ ex illo coniugio Hungaris Regem, securitatem Austriæ nascituram. Principi præstat finitimos alios Principes nisi ferro victi fuerint, aliquo fœdere vincire. Ita dum inter illos feriuntur fœdera, sæpius sanatur fides, & solidatur. Confines Principes, si etiam afines sint, sacro hoc nexu regna stabiliunt.

Interim RVDOLPHO è viuis decedente Imperatorijs dotibus, scientia rei militaris, virtute, felicitate, auctoritate, quas eloquentissimus ille mortalium in suo magno laudauit, nos e magno RVDOLPHO Hæreditarias in ALBERTO Filio suspicimus, quasi quadrijugo curru ipse ALBERTVS victoris exercitus ductor, ferebatur ad imperiũ, capitolium felicitatis, cum sufflaminante rotam, non imaginariâ fortunâ, sed verâ rerum Dominâ Numinis prouidentiâ, hæc nobilis quadriga stetit infracta quidem, sed immota. Cum enim Francofordiam numerosissimo milite instructus properaret, prænsaturus vota septemuirum Augustaliũ, astu Gherardi Moguntini, qui e septemuiro Dictator, sibi dolo malo omnem eligendi Prouinciam ab alijs emendicarat, Adolphus Comes Nassauius imperij, cuius meritoria videbatur esse felicitas, Procus, iniquo iure præfertur. Non est nouum phrenetica esse sapientũm consilia, vbi male sanum sibi caput imponunt. Ludunt fere semper honores, quia illustres vmbræ, prensatores suos, & omnis ambitio plusquam Tantaleâ fame, ac siti, non nisi fugitiua, & volucria bona persequitur. Non semper festiua sunt, quæ festina. Adire debebat imperium Austriacus, non aggredi, illique gloriosius futurum erat datum, vt innocens triumphus pacatæ victoriæ, quam vt cruenta victoria bellatricis potentiæ. Expectandum erat tempus, quo constaret ALBERTVM beneficium attulisse Germaniæ, non accepisse, quòd regnaret. Gaudia cum alata veniunt, statim auolunt, & celeres partus veluti sibi præreptos fata citius reuocant. E contrario ingentes Fortunæ, & Naturæ partus Elephantum more diutino puerperio cõmendantur, quasi Magnum aliquid ipsis annis concipientibus. Vniones non nisi enitentibus inter tonitrua insolitis fulminibus singuli ægre, & rarò e cælo sudantur. Omnis felicitas, pretiumque nostratium bonorum de Chrystalli ingenio fragilia non ephemerâ, sed seculari glacie gemmascunt. Eruditur etiam constantia, vt diligentius custodiat, quod difficilius obtinuit. Aliud ex alio malum succrescit; mala si

1291. kal. Oct.

Tull. in Pomp.

In imperij petitione astu Moguntini septemuiri Adolphus Nassauius præfertur.

quidem

quidem, ficuti vitia fere numquam folitaria veniunt. Sc fe magnetico illicio trahunt arcanis nodis, atque vndarum inftar inuicem truduntur, ac trudunt, procellafque follicitant.

Vienna ex propinato veneno oculũ amittit.

In auftriam rediens Viennæ veneno petitus ab aulicis fycophantis, eò deterioribus, quò occultiores illuftres tenebriones, fub adulationis laruâ mendaci, magnificè perfonatas circumferebant infidias, chariorem, & nobiliorem vitæ partem, alterum oculum amifit. Tota mors, æterna cæcitas ori ingefta dimidia tantum intrans, oculo hæfit, illumque extinxit. Hæc eft luctuofioris Rhenanæ cataftrophes, quam deinde dabimus, protafis Viennenfis. Iifdem armis inuida mors triumphatorem noftrum, & orbis triumphatorem Alexandrum inuafit, quem non ferreus Martis gladius, fed aureus Bacchi fcyphus proftrauit. Vifus eft illi poculo Pincerna Carnifex Bafilifci animam infpirare; ita ftatim regulus hauftus ad oculos graffatus eft, & Auftriacum Regulum fere exoculauit. Commune aulæ veneficium eft excæcatio, fed quia venenum placet, in auro præfertim fafcino occulorum, non ad hilaritatem tantum, fed ad infaniam coronatis cyathis largè potatur. Nihil ibi in fuis coloribus fpectatur: fere omnes Aulici, aut perfonati funt, aut Chamæleontes, & falluntur, & fallunt. Os innocentiæ raro bibit integrum veneni fcelus. Quid fperandum erat Principi de populo, qui peffimos expertus fuerat Optimates? Cautior itaque vnoculus ALBERTVS, reis nefandæ coniurationis fublatis, cæpit Argus effe, dum Cyclops, atq; omnia longè, latèque e fpeculâ Principum, prudentium nimirum confilio, circumfpicere. Vno etiam oculo amiffo Germanus Annibal in hoftes ferocius ruit, & quam Pænus eminus terruit Romam, in Romano imperio inuadit, & expugnat.

Exauctorato Adolpho imperium Alberto defertur.

Nec Adolphi mores amplius tolerari in Germaniâ poterant, nec ALBERTI gloria Auftriâ capi. Exanctorato igitur Adolpho, refixis feptemuiralibus fententijs, iifdem malis artibus, quæ acquifierant, imperium perdentibus, magna Germanici Regni alea, mirabiles hofce ludos ludente Fortunâ, iterum in ALBERTVM recidit, ducentem maiorem felicitatem imperio dignum effe, quam videri, Ille tamen reus, fingulari fortaffe in Hiftorijs exemplo propriæ Cæfareæ maieftatis, quam auro conductus, ftipendiariam Anglo Regi aduerfus Gallum abiecerat, & in fenatu feptemuirum damnatus, atque in ordinem redactus, iure belli imperium retinebat, vnde e galeato capite deiiciendum diadema fuit, & paludamentum detrahendum pectori loricato. Bonam caufam fere femper victoria coronat. Concurritur ergo totius Germaniç viribus ad Actiacam veluti pugnam, fed Adolpho miferam Antonij fortem fubeunte, ALBERTVS euafit Auguftus, cæfo propria manu pfeudocæfare, deletifq; ad interneccionem Adolphianis. Ex illa victoriâ fuffragantibus totius Europę vocibus, procerum fenatusconfulto, plebifcito populorum, militum plaufu, triumphi loco, ALBERTO TRIVMPHATORIS laureatum nomen decernitur fupra Numidicos, & Macedonicos, Afiaticos, & Africanos gloriofiffimo. Acceffit, quę lauream triumphatori imponeret, abdicato prius imperio, ne videretur extortum armata manu violentè fceptrum, Francofordienfis renunciatio in Romanorum

1299. circa idus Iulij.

rum

rum Regem, & Aquisgranensis inauguratio in Cæsarem, vniuersâ Germaniâ insolitos plausus dante, tantâ procerum, & Populorum frequentiâ, vt turba, semper Principibus noxia, Saxonem septemuirum, suffocarit. Hinc ALBERTVS, quod de nullo alio Imperatore fortasse dici potest, bis Cæsar, imperauit. 1299. kal. Aug.

In ipsis primordijs magnâ vi opus fuit, ac manu toties victrice, vt imperium Adolphi tyrannide deuolutum in præceps, pristinum statum felicitatis aquireret. Comitia Norimbergensia indicuntur: In ijs Othonē Bauarum in gratiam recipit, & RVDOLPHO Filio in Archiducem Austriæ procerum imperij consensu auctorato, Blancam Philippi Gallorum Regis Filiam Augustâ legatione in matrimonium adsciscit. Hoc cōnubium ita Austriacum, & Gallum iunxit, vt notato deinde anathemate Philippo, & iure Regni spoliato à BONIFACIO VIII. Summo Pontifice, atque ab eodem delato ALBERTO Gallicano sceptro, reuerentia sanguinis a spe illecebrosæ prædæ manum absterruerit. Inde ad armorum studia conuersus post Diotherum Nassauium Adolphi Fratrem Treuirensem septemuirum, Theobaldum Pyretarum Comitem, aliosque Dynastas coniuratis animis noua molientes, ad Cæsaris obsequium adactos, regijs maioribus victorijs manum admouit. Geminum itaque extra imperium potentissimum Regem inuadit, Vuincislaum Bohemiæ, ac Poloniæ, & Andream Hungariæ, ita secundo vtrobique successu, vt visus fuerit post triumphatoris impositum nomen securus felicitatis, in triumphi morem, prælia aggredi, victoriâ non solum canente receptui, sed & classicum personante. Sublato e viuis sine hærede Vuincislao, RVDOLPHVS Cæsaris Filius ad solium Bohemicum euehitur, & inauguratur. Sed illum ostendere superi Regno, non dedere, paulò post per summum nefas veneno extinctum, coæuâ cum eo expirante Bohemicæ Reipublicæ faustitate. E vocatur illicò a Bohemis proceribus HENRICVS Carinthius ad Reipublicæ regimen, aduersùm quem, vt FRIDERICVM Filium RVDOLPHO sufficeret, ALBERTVS Cæsar, dum quinquaginta tres peditum chiliadas, ac tres equitum mouet, in sinu victoriæ gloriosissimæ decimo imperij anno, decumanâ, non Oceani, sed fortunæ semper fluctuantis vndâ, duodecies bellator, victor, ac Triumphator, sui sæculi Mars Germanicus, obrutus perijt in ripa Rheni fluminis, inter Rusam, & Arulam amnes. Ita infelici exitu felicissima decem annorum ilias terminata est. Vita nostra tenui filo citharæ suspensa, dum argutiùs sonat, frangitur; tunc enim sæpe lethum nos occupat, cum læta meditamur. Auxit calamitatem, quòd coniurationis Princeps Ioannes fratris filius, cum quo lis erat de asse paternæ hæreditatis, Vlrico, Vualtero, & Rudolpho poceribus facinorosissimi sceleris socijs stipatus, ausus est primus ferrum stingere, & iugulum petere Magni Austriaci imperij seruatoris, exhórrescente nefas Orbe terrarum, præficâ Europâ luctum largiter impendente, nec toto Rheno tantæ impietatis portentum emaculante, vlloue sæculo memoriam obliterante. O naufraga Cæsarum fortuna etiam in litore, vbi illa primi Cæsaris tuta in alto videbatur! O laurigeras Cæsarum frontes, quibus ignea Cælitum, non ferrea Hominum fulmina parcunt! O

In expeditione Bohemica occiditur. 1308. kal. Maij.

magna non casui tantum obnoxia, sed grauiori! Candidi Austriadum fasti hoc vno scelere cruentantur, bis lugendo Austriacis, & cum patratum fuit, & cum punitum. Austria pietas hunc vnicum abortum tulit, cum nemo velit pijssimos Principes non esse immortales. Hic vnicus cometes incestauit illustre innocentibus astris Hauspurgicum cælum. Aliquando Aquilæ generosiores plus æquo ferociunt. Siccine auri amores, ferreos mores inducunt? Nec mirum aurum enitente ferro natum ex parricidio communis parentis telluris, ferro etiam manus ad parricidia armare. Suas quoque in nobis ferrum vindicat plagas, & vulneribus eruditur ad vulnera. Non merebatur ALBERTVS, qui vixerat vt Augustus, conuiuari vt Claudius veneno petitus, mori vt Tiberius occisus a fratris filio, cuius tam dulce nomen, & Filij tenerrimo nomini proximum. Habent Germanæ Heliades suum ad Rhenum, non Eridanum, quem lugeant electricarum lacrymarum pretioso fletu naufragum Phaetontem. Citò euanuit post primum Austriadum Cæsarem Iulium sidus. Occubuit tamen, non procubuit ALBERTVS, prius transfosso iugulo, tum secto laxiori vulnere capite, vt magnę animę pateret via. Stans, vt Imperatorem decebat, mortem excepit, ac terruit, spiritum efflans mundo, atq; interfectoribus ipsis formidabilē. Abesse deinde noluit a Paterno sepulcro ALBERTVS, qui solio successerat. Eius corpus Vethingæ vbi primum tumulatum fuerat Henrici VII. Imperatoris iussu in Paterno Mausoleo Spirensi reconditur, vno tantum palmo ab Adolpho imperij ęmulo distans, coniunctis in vnum loculum augustis cineribus illorum Cęsarum, quos non capiebat totum occidentis imperium, & quibus angustus erat orbis terrarum. Nemo in tumulo tumidus: etiam ille Magnus Macedo, a quo plures mundi ad gloriosam insaniam ambitiosis votis suspirabantur, nec breuem vrnam impleuit.

Fuisse in Alberto annales Austrij omnes bellicę fortitudinis, & ciuilis prudentiæ numeros, omniū paternarū virtutū decempedā magno, ferunt. Et certè ex magno Parente nihil minimū expectandum erat. Abominabatur quam maximè Adulatores Palatinos Sinones bilingues, vere Proteos aulicos in omnia versiformes venalibus linguis. Execrabatur etiā acrius Quadruplatores incendiarios crudelitatis in Principe, miseriarum in populis, vtrisque noxios. Et quia gemelli fratres sunt odium in vitia, & amor in virtutes, ex aduerso tria Hominum genera impensius cęteris colebat, Religiosum Clerum, pudicas Fæminas, fortes Milites. Amores, animos in similes ferunt, odia in dissimiles. Hoc ipso tergemino amore ter maximus, veluti nobilissimo trilogio satis laudatur. Nemo Austriadum Cęsarum magis superstes fuit post fata, felicitate posthumâ liberorū copiosiori. Vnus, & viginti in Austriacis fastis numerantur. Totidem ferunt Astronomi cęlum Septemtrionale stellis accendi, atque illustrari, quot Imperatrix Septentrionis Familia Austriacos ex ALBERTO censebat serenissimorum titulorum hęredes.

Alb. amores & odia.

Ita adolescebat triumphis Austriacum imperium inter victorias natū, seruatumque a triumphatore ALBERTO Tibi, ac Tuis MARIA ANNA, quę in Te, ac magnâ, quam auspicijs omnibus auspicamur po-

ſteritate, ingens es AVSTRIÆ DOMVS INCREMENTVM. De Auguſtâ vero hac tuâ domo dici poteſt, quod de Alcidamę domo cecinit Lyricorum Vatum Princeps Pindarus propter victoriarum, ac triumphorum numerum fuiſſe cuſtodem coronarum non in ſinu tantum Græciæ, vt ipſe prædicabat, ſed Orbis vniuerſi.

Auſtriaca ſupra Theodoſianam

Plena laurearum *Cl. in*
Imperio fata domus *nupt H.*
Vix numerat triumphos: *& M.*

Ipſi tui ſoli FERDINANDI, ac PHILIPPI, nomina ſunt, vt de Marci Marcelli nomine celebrauit Valerius Maximus *inſtar æternorum triumphorum* glorioſiſſima.

ALBERTVS I. TRIVMPHATOR

Epinicion

Austriaco Herculi Triumphatori ALBERTO
Io dicite Paean.
Ob seruatum victorijs in Austriaca domo
A RUDOLPHO magno Parente fundatum imperium.
Io dicite Victor: Io triumphe.
Cedenti Atlanti imperium Austriacum,
cum cælo, quod illi innititur,
Iure Hercules succedit Triumphator,
RUDOLPHO, ALBERTUS,
Heros Giganti.
Non nemæum induit Leonem, sed Hauspurgicum
potiori iure cælo donandum;
vbi innocens omnibus Coronatus Leo,
Cæli tantum hostibus nocet.
Nodosa claua victorijs attrita, qua monstra fregerat,
in sceptrum migrauit leue, quo homines regeret.
Ut orbem terrarum Hercules
ita monstris ALBERTUS purgauit imperium;
Nulla tamen monstra inuenit præter Homines,
Eiurata humanitate Principes feras.
In poculis despumantes Iunonios Angues
si non elisit, saltem elusit.
Multicipitem Hydram
In venenata multorum capitum coniuratione
Herculeo more
Igne messuit, & ferro victore.
In Aula, quæ Humanitatis Regia videtur
omne monstrorum genus edomuit.
Eadem infidelitatis Circe impia metamorphosi

Homi-

Hominibus in bruta conuersis,
AEripedes Ceruas obiecit,
infames stymphalides,
igniuomos Tauros,
trifauces Cerberos.
Principes numquam non Hercules sunto;
Quia semper Aula Africa est monstrorum ferax.
Martis Filius Adolphus,
Boreæ Filij Boreales Pannoniæ, & Bohemiæ Reges,
Non nisi Herculea poterant manu superari.
Vbi ad imperium peruenit
Herculeum statuit NON PLVS VLTRA Humanæ felicitatis.
Exantlatis etiam duodecim bellis, ac patratis victorijs
duodenarij Herculei laboris Zodiacum percurrit.
Tandem qui Euristheum mitiorem in Patre,
Iunonem sæuiorem expertus est in fratris filio.
Magnum vtrinque scelus, & consanguineum,
siue nouercali philtro pereas,
siue manu parricidali.
Nessi nimirum purpuram cum Hercule induerat,
Vbi purpureum, inauguratus Cæsar, paludamentum.
Ipsa indutus non in Oeta, sed ad Rhenum,
Quod mireris, fere in aquis conflagrauit,
Ingens ALBERTVS Triumphator, Heros infelix,
Cum Oetæo Hercule tragediæ argumentum.

SYNOPSIS GENEALOGICA
AB ALBERTO I. TRIUMPHATORE
AD FRIDERICUM III. PULCHRUM.

EX ELISABETHA Meinhardi Ducis Carinthiæ, & Comitis Tyrolis, ac Goritiæ Filia ALBERTVS triumphator familiam Hauspurgicam felici multorum Liberorum auctario propagauit. Horum nomina sunt ex Austriacis annalibus additis cognomentis, quibus cohonestauit Magnos Principes illa ætas, numquam non celebranda.

RVDOLPHVS MITIS
FRIDERICVS PVLCHER
LEOPOLDVS GLORIOSVS
OTTO IOCOSVS
HENRICVS PLACIDVS
ALBERTVS SAPIENS
AGNES
CATHARINA
ISABELLA
MARGARITA
ANNA
GVTHA, SIVE IVTHA

Alij vel antecesserunt, vel ita breui sequuti sunt Parentem Obeuntem, vt nec nomen suum fastis inscripserint. RVDOLPHVS mitis primus ex Austriaca familia ad Bohemiæ solium euectus est, non hominum, sed virtutum suffragijs, quibus calculum addidit maximè fauorabilem ANNA vxor Vuinceslai pij Filia, hæreditario iure Bohemicum Regnum sibi, ac Marito afferens. Sicuti gratiosissimum semper cælo, ac terris ANNÆ nomen est; ita numquam non auspicatissimum Austriacæ genti, & inter Charites suas ferens comitem summam felicitatem. ò nomen cum sceptris, coronisque in triumphali domo Austriaca natum, regnisque dotalibus diues, non lapillis signandum, sed astris, nec auro, sed thesauris populorum! Succesit RVDOLPHVS Bohemiæ Rex Austriacus Vuinceslao V. iuniori in belli Polonici apparatu, Olomucij sycophantæ Palatini manu per summam impietatem occiso, nec primæ illi nuptiæ cum Blanca Philippi II. Francorum Regis Filia, nec secundæ cum ANNA Bohema felicitatem prolis attulere. FRIDERICVS pulcher inter Cæsares III. imperij hæres, summæ constantiæ laude fortunæ victor, & sui triumphatoris Parentis imago pulcherrima extitit. LEOPOLDVS gloriosus, siue gloria equitum, & militum auratorum, OTTO iocosus, siue, vt alij appellant, venustus, HENRICVS placidus, ALBERTVS sapiens enitentibus virtutibus, factis gloriosissimis, domi, forisque nominis amplitudini magna cognomina pepererunt. Soli ALBERTO sapienti, natu inter Fratres minimo, cui non sine felicissimis auspicijs commune fuit nomen, cognomentumque cum magni RVDOLPHI imperij Austriaci conditoris parente, ac totius augustæ gentilitatis auctore, propagationem stemmatis cælum indulsit, vt scias illam non hæreditatem paternam esse, sed cæleste donum. AGNES ANDREÆ III. Vngariæ Regis vxor; ISABELLA Friderici III. Lotharinghiæ Ducis, MARGARITA Theodorici IX. Cliuiæ Comitis, GVTHA, siue IVTHA siue, vt alij appellant, BONA, Ludouici Comitis Æthingensis, regijs affinitatibus Austriacam potentiam amplificarunt. ANNA primis nuptijs Hermano Marchioni Brandeburgico elocata est in matrimonium, secundis Henrico VI. Duci Vratislauiensi. CATHARINA Henrico VII. Cæsari, post ALBERTVM Austriacûm res imperij moderanti desponsata, eo sublato, non sine veneni suspicione, in Italia, Carolo Duci Calabriæ Roberti Regis Siciliæ Filio nupsit.

ELISABETHA ALBERTI Cæsaris coniux, ea, quæ Reginarum Austriadum dos est, pietate, tum maxime inclaruit, cum extructo palatinis redditibus illustri cœnobio, quod campū Regium vocarunt, augusti mariti manibus parentans veram Christianam apotheosim magnificè, ac religiosè procurauit. Ita de æuo omnium domitore ALBERTVS Triumphator in nobili prole triumphauit. Hunc tibi, inter alios laureatos, triumphum MARIA ANNA, & MONARCHÆ CONIVGI Potentissimo votis omnibus, & omnium, destino.

IM PE-



Fed. Agnellus sculpsit

IMPERATOR CÆSAR
FRIDERICVS III.
PVLCHER.
PIVS, FELIX, AVGVSTVS,
REX GERMANIÆ
ARCHIDVX AVSTRIÆ,
DVX STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SVEVIÆ,
LAND. ALS. COM. HAVSP. ET TYR. &c.

HOC florido vultus honore, gentilitiâ Austriadum Reginarum dote, inter serenissimos augustæ purpuræ splendores cum maiestate vernabat FRIDERICVS tuus potentissima Hispaniarum REGINA, & omnium non fæminarum tantum, sed Heroidum flos. Hinc eius victoriosissimo nomini inter paternos triumphos nato, veluti laureæ superimpositum floreum coronamentum à formæ dignitate, per summum decus, pulchri cognomentum, accessit. Hac heroicâ supra homines augustiori formâ spectabilem fuisse ferunt magnum Macedonem, hac primum Romani Imperij Augustum, hac mitratum Persarum Monarcham Cyrum, hac ipsum magnum RVDOLPHVM Genearcham tuum, auctorem regij nominis in Hauspurgicâ tuâ prosapiâ, omnesq; ferè hæreditario iure Austrios Principes, vt iam videatur istud admirabilis formæ patrimonium in censu Austriacæ gentis numerari, ex hoc splendore vultus, populis vmbram quandam diuinitatis inibi non vulgariter, sed basilicè habitantis, venerantibus. Ita falsum est inimica esse nomina, nec in vno solio regnare maiestatem, & amorem. Non hæc tamen forma imperio digna diadema imposuit, quod alioquin, & augusta nomina ALBERTI triumphatoris parentis, ac RVDOLPHI magni Aui exigebant, & ipsius FRIDERICI virtutum omnium pretiosis calculis debebatur.

Primus ad imperium gradus fuit obsequium Imperatoris, quod in suo Cæsarum optimo magnificè consularis panegyrista laudauit. Post paca- *Pl. in Tr.*

tam

tam Austriam, quam aliquorum Procerum tumultuantia studia turbarant, Henrico Septimo è Comite Lucemburgico Romanorum Regi, & Cæsari, in Italiam venienti, vt Rex Italiæ, & Augustus rite salutaretur, Ductor equitum, quos e suo milite legerat, adhæsit. In Italia partibus gibellinis, quas gratia Cæsaris fouebat, impensè fauit, Matthæo Magno Vicecomite, stirpe Principe Insubricorum Ducum cum ingenti ciuium Mediolanensium, ac ferè totius Italiæ lętitiâ, post impletâ vtriusq; fortunæ paginam, ab exilio Austriaci operâ reuocato. Austrię redditus ad paternas vindicias conuersus, mulctatis vicarijs sceleris, Ioannem patruelem antesignanum, qui pugnantia nomina iungens hostis, & fratris filij, gemino parricidio Cęsarem cędens, & Patris fratrem, & Patrię Patrem, consanguineas manus cruentarat, ad salutarem pœnam adegit. Vitam indulgens, ne reus esset Austriaci Sanguinis, quem vlciscebatur, iussit sub cucullo Monachum lucre, quidquid sub galeâ peccarat miles. Ita Ioanne parricidâ sacrę militię nomen dante, vnicum Austriaci generis conuicium consecratum est, & inuisum cœlo scelus expiatum in cellâ. Spoliatus etiam bonis, quorum amore peccarat Ioannes documento fuit omnem impietatem Perilli ignitum taurum esse, & auctorem tandem torquere, sępiusq; ipsum sceleris irritamentum migrare in carnificem pœnam. Henrico Cęsare è viuis exempto in Boiariam mouens cum Sa-
1313. lisburgico Principe, belli socio, Riethum arcem munitissimam ad deditionem compulit, Ludouico interim Bauaro cum nostro Austriaco de imperio apertâ ęmulatione certante. Vtriq; laureato, ac triumphali paribus quasi Procerum votis, ac populorum studijs videbatur Germania. imperium occidentis deferre.

Itum est à Septemuiris Principibus in suffragia, post annuum interregnum, sed illis in diuersa abeuntibus, in duos Imperatores FRIDERI-
1314. 18. Oct. CVM, & Ludouicum dissectum non sine lęthali vulnere imperium, ferè concidit. Monarchię diuinitati proximę, eiusq; vicarię in terris, etiam illi simillimę sunt, eo nomine, quòd nullam patiantur diuisionem. Qui diuidit, videtur geminare, sed destruit. Monstrum semper iure dicas, omne vnius corporis imperium, biceps. Respublica quoddam fortunarum publicarum nauigium est, integra natat, & velificatur: diuisa naufragium facit, omni rimulâ aperiente naufragio capacem locum. Ipsa terra supra magnum nihil, & inane librata, æternam suam firmitatem, qua nihil in rerum naturâ constantius, vni principi centro debet. Diuiso veluti cœli imperio gemini solis parelia turbines seditiosos, & ventorum tumultuantium ciuilia bella portendunt. Ita prorsus accidit: hæc factio Austriaca & Bauarica totum ferè Septemtrionem distraxit, dubio quasi imperio æqua lance, se se in vtrumq; librante. Vterq; magnis contentionibus grassatus ad Cæsaris nomen, suos inauguratores, & adoratores inuenit, Austriacus Coloniensem, Rudolphum Boioariæ Ducem obligatæ fidei sanctitatem fraternæ beneuolentiæ summâ constantiæ laude præferentem, Henricum Carinthium, & alterum Rudolphum e Saxonum Ducum gente; Bauarus vero Petrum Moguntinum, Balduinum Treuirensem, Ioannem Saxonem, VValdemarum Brandeburgicum, & Ioanem Bohemiæ Regem.

Diuisis suffragijs Cæsar cũ Ludouico Bauaro renuntiatur.

Cri-

Criminabantur tamen austriacarum partium homines Ludouicum ex eo, quòd Brandeburgensis Electoris procurator violasset sui Principis mandata,& adultera manu Ludouicum pro FRIDERICO supposuisset. Vnde Bauari causa valentior, sed melior videbatur Austriaci; cum præsertim Summi Pontificis Ioannis XXII.,quem missis HENRICO fratre Ductore in Italiā copijs,aduersus Gibellinorum impetus propugnarat,oraculo potius dixerim è Vaticanâ cortinâ, quam suffragio niteretur. Germania, Imperij fato eam, bellorum ferè semper vel matrem, vel altricem inuadente, primùm in studia partium, mox in apertum bellum, multis prælijs odia efferantibus, erupit, & quod mirum fuit non ad Orientem, & Occidentem, vt olim apud plerosq; Cæsares diuiso imperio, sed ad Boream, & Austrum boreales vrbes, & prouinciæ Rhenanæ inferiores Bauaro, Australes, & Superiores Austriaco parebant.

Vbiq; bellicum canitur, classicum concrepat, ad arma concurritur, veluti ad nonam pharsaliam. At Cæsar contra Cæsarem stat, vtrinque ijsdem Aquilis fulmina ministrantibus, nec in Æmathijs campis, sed germanis romani orbis alea versatur. Primo prælio ad Eslingam, Sueuiæ oppidum, ancipiti Marte pugnatum est; Steteruntq; inde exercitus acsi Cyclades futuræ immobiles postpugnam, concursassent; ita neuter alteri fractus procubuit, aut locum cessit. Iterum prope Argentoratum Austriaci,& Bauari castrametantur,educitque Austriacus Imperator militem cum tanto Boici terrore,vt prima tentamenta, & leuioris armaturæ equitum robur sentiens, antequam creperus præco belli clangor personaret, receptui cani iusserit, & desperatâ spe victoriæ Haganôam se receperit. Nulla est maior victoria, quàm quæ confessum vinci, vincit, animo ipso victo parte exercitus nobiliore. Auctus deniq; AVSTRIACVS Magnis Caroli Hūgariæ Regis auxilijs in hostico solo sedē belli figens,ferro iudice de magna imperij lite, & causâ romani orbis decreturus, Boium inuadit, subsidijs Bohemicis, armis, & milite instructissimum, inter Muldorffium, & Donspergam occurrentem. Castra castris conferuntur: hastatâ segete horrescunt campi, curuantur in cornua lunatæ equitum turmæ, densantur in vnum pleno gradu lenta prælia ferentes quadratæ peditum phalanges, cuneatis cohortibus veluti bracchijs magni corporis hinc inde Manipulatim productis: discurrunt leues ante signa velites: cataphracti, primipili, triarij à latere, à fronte, à tergo primos impetus excepturi instar armati, mobilisque valli, agmen circumsepiunt: classicum strepit, vexilla explicantùr, tonant fulminales machinæ maiores, minoresq;, nec sterile tonitru est, nec ignauum fulmen, ipso fumo diem cælo eripiente. Miles militi primum centuriatim, inde viritim conseritur, gladiatoriâ potius constantiâ, quam militari: ardentissime publica causa agitur, feritur cæsim, punctimque, eminus, cominus, strage duodecim horarum spatio longè, latèq; editâ, & Marte vnius diei tragædiam exhibente soli principi planetæ, ex vtroque regali, ac purpurato Orientis, atq; Occidentis podio spectatori. Adhuc diadema germanici regni paterno sanguine stillabat, nec iratam fortunam pacauerat ALBERTI Cæsaris Lacrymabilis Cædes, & quod summum malorum videri poterat truncatum consanguineâ

Prælia inter Cæsares Austriacum, & Bauarum.

1322. Duodecim horarum pugna de imperio decernitur.

I manu,

manu, coronatum orbis caput. Initia pugnæ læta fuere arridente fortunâ, quæ fidei alioquin constantissimæ FRIDERICI infidelis, victis victoribus spem fefellit, reciprocans, alternansque vices in æstu armorum tanquam in Euripo suo, cruore non aquis ebulliente. Armatus veluti nouus hostis coniuratione ventorum à fronte aciei in oculorum aciem puluis insurgens, & ominosis tenebris morti præludens, primam occupauit victoriæ laudem, & documento fuit, non solum armatum plumbo, & ferro incendiarium sulphureum puluerem, tormentisque excruciatum, & igni damnatum, sed ipsum etiam pacatum camporum puluisculum, si Cœlo collubitum sit, exercitus prosternere. Ipsi quoque vndarum exercitus victores, totusque Oceanus triumphator litoralis pulueris obiectu subsidunt, ac debellantur. Inclinarunt ad Bauarum, omnia tandem momenta victoriæ, Equites Bohemi sinuato flexu, à tergo Austriacum militem circumuenientes, habitique pro auxiliarijs, qui à LEOPOLDO Austrio fratre expectabantur.

Puluisculus in oculos Austriacorũ incurrens magnum Bauaris victoria momẽtũ.

Frid. in potestatẽ Bauari venit.

FRIDERICVS post omnia boni militis, & Imperatoris officia cum HENRICO fratre, alijsque proceribus in potestatem Ludouici venit, adhuc aspersus castrensi puluere, & sanguine præliari, plenus nobilium irarum, quasi non in hostium manus dederetur, sed illos ad pugnam prouocaret. Luit animosæ confidentiæ pœnas, quòd non expectatis ingentibus auxilijs è Sueuiâ, & Rhætiâ, quæ non longe aberant Ductore LEOPOLDO, impar viribus, nimis audacter belli totius aleam iecisset. Magna victoria, quæ inter manubias præfert etiam manus catenati Regis, & indignam illius pompam magnificè trahit. Ingens fatum, res Austriacas versauit, sed Austriaca constantia, quæ Magna egerat fortiter patiens mirum in modum enituit; nam in triennali custodia detentus Princeps Reginæ libertatis, & augustæ, adhuc victore animo liber, sublimisq; veluti in Olympo supra fulminatricis fortunæ tonantes minas, vertice astris, nimirum cælestium rerum ardentibus votis coronato, calcatis sub pedibus nimbis in sudo regnabat. Nihil iuris erat in hoste in hanc partem FRIDERICI meliorem.

Sen.

Qui metuit nihil
Rex est, quique cupit nihil:
Hoc regnum sibi quisque dat.

Illud enim imperium demum maximum est, Regem esse sui. Eo vultu intrauit carcerem, quo triumphatores Capitolium. Quidquid virtus intrat, condecorat: cum per latebras trahitur, veluti Anguis exit nitidior; si tamen vlla latebra illam condit, quæ de more cœli nemini celatur, ac nubis instar cum eliditur, fulgurat. Ipsa sceptra, Coronæ, ac throni pretiosæ quædam seruitutes sunt, manibus, capiti, toti regio corpori iniectæ: torques, ac diademata, catenæ, ac vincula, sed illæ aureæ, & ista serica, pretio, quia etiam ipsum tenet, & ligat, non liberante, sed geminante regium mancipium. Didicit FRIDERICVS a pila aurea, quam gestant coronariam in capite non ludere sæpius Cæsares, quam ludi, & seriò archetypæ illius prouidentiæ manu, quæ ludit in orbe terrarum. Ita obnubilata est in Austriaco Imperatore non sublata publica imperij sere-

serenitas, neq; vllus neuus fortunæ pulchri nostri, quia etiam fortis, faciē maculauit. Cōprobauit hoc, supremi Romani Antistitis aduersus Ludouicum inde propterea anathemate perculsum pontificium patrocinium Austriacis Principibus vbique debitum, apud quos semper sacrosanctum fuit Religionis Orthodoxæ nomen, & erga Dei solium in terris incredibilis reuerentia. Sed ius, & vis nullo literarum discrimine notantur, & quod deterius est, sæpe vnum pro altero regnat.

Non tulit tamen diū fraternæ iniuriæ dedecus LEOPOLDVS à bellicâ laude cognomento bellicosus, & militum auratorum, siue equitum gloria eâdem gloriâ succenturiante militem, ordinesque mouente, vlturus ignominiosæ illius seruitutis publicum probrum. Nihil ferocius gloriâ vindice iniuriarum. Quid cum probosæ sunt, quid cum iniustæ, quid cum illatæ Principi, & fratri? Ingenti belli apparatu exterritus Bauarus honestis conditionibus Austriacum liberauit, vt nimirum pari potestate, & æquo iure diuiso imperio FRIDERICVS, & Ludouicus singulari exemplo, ex riualibus coronæ æmuli, & hostes, & ex hostibus Collegæ, amicique regnarent. Huius facti testes, quidquid obganniant aliqui chronographi, adhuc extant Monachienses, & Vlmenses tabulæ, cum imperiali diplomate, fidei datæ obsides, & immortalis toti æuo magistræ veritatis. Additum est fœderis sacramento cognationis vinculum, ne abrumperetur, OTTONI Austrio, cognomento Iocoso, nupta Elisabethâ Stephani Baioariæ Ducis filiâ, & Ludouici Cæsaris Fratris Filia, qui alioquin etiam ex Austriacâ Matre nimirum MITHILDE RVDOLPHI magni filiâ, natus erat.

Leopoldus bellicosus captiuum fratrem Cæsarem liberat. 1325.

Reliquos vitæ annos FRIDERICVS vtriusque fortitudinis laude periculorum, & infortuniorum victor publico bono pacatè impendit, labentis Religionis acerimus vindex, dignus non germanâ tantum lauro, sed cœlesti, donec ab arce Guthenstheim, vbi tunc morabatur, translatus est ad suæ fortitudinis Capitolium, & illud regnum adijt, in quo omnes sine populo incolæ Reges sunt, & sine æmulo imperant. Omitti hic nō potest sine piaculo editum à LEOPOLDO fraternæ beneuolentiæ, ac veræ Philadelphiæ specimen, quod illa ætas cum admiratione suspexit, & consequenti æternitati fideliter commendauit. Toto triennio, quo captiuum FRIDERICVM Cæsarem Bauarus carcer detinuit, nullam vnquam ferunt LEOPOLDVM ne leuissimam quidem hilaritatis indicem notam edidisse, atrato, ac pullato cum luctuosâ quadam maiestate vultu; quasi boicæ seruitutis iugum lugubrius liberum, quàm captiuum AVSTRIACVM Heroem premeret. Amor Proteus omnes induit formas, & omnium partium histrio semper fabulam aliquam nobilem agit. O frigida iam exempla decantata toties in græcis theatris Pylades, & Orestes, Damon, & Pythias! Tam Religiosum par fratrum nec Argi spectauerunt, nec Athenæ. Austriaci Cœli sidera, si coniunxeris, siue illustri connubio, siue fraternis splendoribus, efficacissimâ, & beneficentissimâ luce felicissimè irradiant, ac terrarum fata moderantur.

Friderici obitus. 1330.

Insigne in Leopoldo fraternæ beneuolentiæ specimen.

FRIDERICVS III. PVLCHER

Statua:

Nihil gratius exhibere possum orbi spectatori,
Quam hanc Augustam pulchri Cæsaris Statuam:
Informem lapidem vbi phidiaca manus animauit:
Infantem Ars memnonia, vt sic loqueretur, erudijt.
Hanc regiam, quam vides, corporis formam:
Pro Regia sibi animus heros elegit.
Olympi cor niueam istam marmoris venam nutrit:
Oriundum è cœlo, Austriacæ innocentiæ candorem.
Indidit tantum constantiæ saxeo pectori,
Ut plumbea in illud fuerint omnia fortunæ tela,
In hoc solum ferrea,
Quòd ab ijs ictum siliceum pectus luculentius fulgurauit.
FRIDERICUM quem non amare non potes, quia pulchrum:
Admirare etiam, quia fortem.
Imò quia pulchrius est fortem esse, quam pulchrum:
Stupores omnes fortis, & amores trahet.
Alijs virtutibus electrica vis est ad amoris illicium:
Fortitudini etiam magnetica:
Illæ leues animas trahunt:
Hæc ferreas quoque.
Cruciaria est Imperatorum corona:
Nemo illam sine crucis amore optare potest.
Aurea, omnium ponderum maximum addit
Seruituti, qua frontem ligat.
Orbi coniuncta, caput premet,
Nisi Atlantæum inueniat.
Cuspidata multifido vulnere lacerabit,
Nisi inueniat Achillæum.
Plures illam lachrymæ occidentes onerant,

Quam

Quàm ornare possint vniones lachrymæ Orientis,
Magis gemendam, cum gemmatam magis,
Et multò etiam magis, si gemmæ geminentur.
Ipse, qui lunam coronat, versicolor Halo
Augur est procellarum.
Austriaci tamen cæli solem FRIDERICVM pulchrum
Nostrates vapores non inficiunt.
Inter suas etiam maculas innocens irradiat
Quia circumerrant, non inquinant.
Asbestinus niueæ innocentiæ candor
Purior est cum vritur.
Vniones quoque soboles innocentiæ
Enitentibus fulminibus, ac tonitruis pariuntur.
Apodes sunt, cælorum semper inquilini,
Qui terrenis vinculis non tenentur.
Ægyptium cælum in fronte rotant
Innube semper, & serenum.
Reges animi basilicæ, nimirum regiæ herbæ instar,
Cùm atteruntur, grandiunt sublimiores.
Rex lapidum purpuratum Coralium
Illud tantum pretium contrahit, quod à cælo patitur.
Regem gemmarum adamantem elegerunt mortales,
Non quia illustriorem, sed quia infractiorem.
Cum ad scopulos allidit spumantes vndarum arietes,
Ludit, non lædit Oceanus.
Nulla arcana ex arcu cælesti serenitas illustrius prodit,
Quàm quæ cælo prius tenebricosiore celatur.
Ignis fatuus est forma sine fortitudine,
Quæ amantes, mendacio lucis deceptos, reddit amentes.
Constans in stellam accenditur,
Aequè immortalem ignem, & innocentem.
Ita facundo silentio loquitur doctus lapis.
Si spectator huius memnoniæ statuæ hæc non audis:
Tu ipse statua es.

SY-

SYNOPSIS GENEALOGICA

A FRIDERICO III. PVLCHRO
AD ALBERTVM II. HONORIFICVM.

FRIDERICVS III. Princeps magnanimus eius prolis felicitate caruit, quæ posset hæres esse augusti nominis, & solium tenere, vnde centum annos ab Austria exulauit vsque ad ALBERTVM II. Honorificum ALBERTI fratris Pronepotem. ALBERTI Cæsaris Maiores hoc ordine fastis austriacis inscripti sæculum integrum illustrarunt.

ALBERTVS II. Sapiens ALBERTI I. triumphatoris filius, FRIDERICI III. pulchri frater.

ALBERTVS III. Patriæ Pater

ALBERTVS IV. patiens, & *Mirabilia Mundi* dictus

ALBERTVS V. inter Principes Austriacos, inter Cæsares II. Imperator.

FRIDERICVS, & LEOPOLDVS, quos Fridericus Cæsar susceperit, vel ex Cunigunde filia Ludouici Cæsaris, vel vt alij verisimilius putant, ex Isabella filia Reinoldi Gheldriæ comitis in ipso oriente vitæ ad occasum statim properarunt, breuioris circuli Austriaca Sidera. Ex ISABELLA autem, siue ELISABETHA Iacobi Regis Aragonum filia habuit cognominem filiam ELISABETHAM desponsam Ioanni Regi Bohemiæ nuptijs regijs præmortuam, & ANNAM Poloniæ Regi, eoq; ante matrimonium decedente nuptam Ioanni Carinthiæ Comiti, ac demum tertijs supra secundas felicioribus nuptijs Cœlesti Regi, monasticen in Sanctæ Claræ à se extructo Cœnobio religiosissimè professam.

ALBERTVS II. ALBERTI I. filiorum, & FRIDERICI III. Cæsaris fratrum natu minimus, magnis nominibus vsque ad ALBERTVM II. Cæsarem Austriam gentem nobilitauit, ex Canonico Viennensi, & Passauiensi Sacris, quibus initiatus erat, exsolutus, & Augustæ stirpis propagator. Eius liberi sex numerantur, ex IOANNA Vdalrici vltimi Ferretarum comitis filia, & Herede augête Austriacum patrimonium ferretanis ditionibus, & Santgoniensi principatu fatali quadam ex Austriadum coniugijs felicitate, RVDOLPHVS IV. magnanimus, ALBERTVS III. Pater patriæ dictus Caroli IV. Cæsaris Socer, primus Tyrolensis, & Athesinæ ditionis comes, LEOPOLDVS III. probus appellatus, & militiæ decus, vt maximum militiæ decus sciremus esse probitatem. FRIDERICVS IV. Splendidus cognomento, sed magis sanguine, MARGARITA nupta primum Meinhardo Bauaro, tùm Ioanni Morauiæ Principi Caroli IV. Cæsaris fratri, & CATHARINA in S. Claræ Cœnobio sanctimonialis omnium virtutum radijs clarissima.

ALBERTVS III. cum ex ELISABETHA filia Caroli IV. Cæsaris nullam prolem suscepisset, ex Beatrice Burgrauij Norimbergensis filia vnicum sustulit sibi cognominem Albertum IV. Hic Archidux Austriæ, successorq; in alijs principatibus vxorem duxit IOANNAM Alberti Bauariæ Ducis, & Hannoniæ, Hollandiæ, ac Zelandiæ Principis filiam, ex qua nati sunt, ALBERTVS V. inter Austriacos Principes, sed II. in Romani Imperij fastis, Romanorum Rex, & Cæsar, & MARGARITA vxor deinde Henrici diuitis Bauariæ Ducis. Ita per magna nomina adolescebat Austriaca Potentia ad Maximos FERDINANDOS, & PHILIPPOS.

IMPE-



Fed. Agnelius sculpsit

IMPERATOR CÆSAR
ALBERTVS II.
HONORIFICVS
PIVS, FELIX, AVGVSTVS,
REX GERMANIÆ,
HVNGARIÆ, ET BOHEMIÆ,
ARCHIDVX AVSTRIÆ,
DVX SILESIÆ, ET LVCEMBVRGI,
MARCHIO MORAVIÆ, ET LVSATIÆ,
COMES HAVSPVRGI &c.

AVſtriadum Cæſaream fortunam hæreditariam tibi, ac dotalem, quam ſoſpitatricem optimā, ac te vehentem in Hiſpaniam vehis MARIA ANNA tot feliciſſimorum Cæſarum Auguſta proles, ALBERTO II. debes, qui primus integrum ſæculum exulantem ab auſtriæ domo, in eam honorificè reduxit; vnde ſicuti RVDOLFVS magnus primigenea tuæ Gentis fortuna, ita ALBERTVS II. fortuna reuertens a pleriſque dici meruit. Inter FRIDERICI III., & ALBERTI II. imperium ſæculum fluxit vere ferreum ex bellorum frequentiâ, quod ſibi Bauari, & Carinthij Cæſares, Ludouicus V., Carolus IV. Vvenceslaus, Robertus, Sigiſmundus diuiſerunt. Succeſſit aurea ætas Auſtriorum Cæſarum in ALBERTO, primo ſupra imperij dignitatem Auſtriadum Rege, atque cum eâ redux è Cælo Aſtræa ſtipata charitum choris, & ſi qua alia exulabat è nobili virtutum familiâ. Integro ſæculo concipi debuit æuum æterni imperij, quod ALBERTVS ſuæ Genti peperit non interrupta Auſtriorum Cæſarum familiæ ſerie.

Eius

Alb. parentes, & Aui.
Natus est an. 1399.

Eius pater ALBERTVS binomini titulo *patiens, & mirabilia mundi* dictus, Auus ALBERTVS patriæ pater, Proauus ALBERTVS sapiens, Abauus ALBERTVS Triumphator dedere, vt magnis hisce nominibus Albertorum, quæ non albis signanda tantum sint lapillis, sed pretiosiore gemmarum splendoribus temporum omnium memoriâ, ingressus cum maiestate in orbem terrarũ, omniũ in se epitomen colligens, HONORIFICI cognomentũ referret; quasi vel totus ex honoribus factus prodiret, vel ipsis honorẽ honoribus faceret. Et certè fuit hic post natam familiam hauspurgicam supra omnes suos gentiles Heroas potentissimus, Rex Bohemiæ, & Hungariæ, Archidux Austriæ, Dux Silesiæ, & Lucemburgi, Marchio Morauiæ, & Lusatiæ, additis vicinarum dynastiarum appendicibus, ac tandem Rex Romanorum, & Imperator. A prouincialibus ordinibus cum nondum excessisset ex ephebis Austriæ administrandæ admotus est, institutis tutoribus ex Austriacâ Gente industrijs, & fortibus GVILLELMO I. ET LEOPOLDO V. patruelibus. Aggressus principatum prouinciam tumultibus intestinis concussam, non sine canæ prudentiæ laude compescuit. Adolescens Marti deuotus, fortem manum Sigismundo Imperatori, & sceptro totius Germaniæ sustinendo aptam ita probauit pluribus in bellis, præsertim in Bohemico, quatuor millibus equitum Præfectus aduersus Ziscam Hussitanum Ducem, vt Cæsar triumphi loco, ei in generum lecto, augustas trium germanicorum regnorum spes dederit in ELISABETHA filia, & Hærede, quam Austriaco, in Thalami sociam iunxit.

Alb. supra omnes ante ipsum Cæsares Austriacos felicissimus.

1410.

Bellum Bohemicũ

1432.

Nuptiæ cũ Elisabetha Sigismun. Cæs. fil.

Eodem Anno Hungarica Bohemica, & imperij corona defertur.

Inde vno eodemq; anno faustissimo Austriaco Generi, ab orbe reparato trigesimo octauo supra millesimum quadringentesimum, coniuratis in vnum caput omnibus fere Germaniæ titulis, & festinatos, cumulatosq; honores congerentibus, versantes Bohemica, & Hungarica consilia, ac septemuiralem vrnam non fortunâ, sed cælo, Rex Bohemiæ Kalendis Ianuarij, Rex Hungariæ nonis Maij, ac tandem Romanorum Rex, & Cæsar quartâ idus Iulij Albæ Regalis, Pragæ, & Aquisgrani inter totius Europæ gratulationes, HONORIFICI titulo imposito, salutatur. Rarùm fuit felicitatis exemplum, & fortasse omnibus elapsis sæculis inauditum in ijs Regibus, quibus non gemella regna in ipso ortu nascuntur, sed librata sententiarum calculis, ex Senatusconsulto Procerum arbitrantium deferuntur. Quid mihi tuum Timotheum obtrudis Græciã, tuorum gloriosa laudatrix, in cuius rete fortuna vrbes conuehebat? In sinũ ALBERTI vno iactu tria regna à vera rerum humanarum arbitrâ, fatorumque potenti, numinis prouidentiâ conijciuntur; vt iam austriaca felicitas sit votis exaggeratis maior, & superet feliciora ipsa commenta mortalium, omnemque fingendi licentiam. Initia huius faustissimi anni celebrate tributarij Imperatrici, ac Regnatrici Austriæ populi. Hæ primæ kalendæ austriacũ genus in ALBERTO ad regna euocarunt, & Austrij stẽmatis candidam gentilem zonam cum lacteâ cæli, minusculis baccatâ stellulis zonâ, imo cum quinque cælestibus zonis, in perpetuo mundi supra nos peregrinantis motu, orbem terrarum circumeuntibus, ad omnes cæli cardines explicuerunt. Hæ statorem felicitatis austriacæ ALBERTVM coronant:

nant: Hæ imperatoriæ fortunæ rotam aureo clauo figunt in Hausburgicâ Domo, atq; alis recisis, vt de Romanâ Republicâ dictum est, volucri potestatem fugæ ademerunt, Imperij Austrij maiestatem postliminio reuocantes, nunquam amplius abituram. O annum omnium annorum præeuntium, & consequentium diademate, imò ipso æternitatis redeunte in se ipsum circulo coronandum! O annum tot coronis austriacis annorum regem! O annum aureæ ætatis parentem, initiatum kalendis triumphalibus, quæ solem ferunt in medio signorum australium dominatorem, nullo alio horoscopo ascendente, præter ipsam felicitatem, de more astrorum in austriacâ domo æternâ, & inoccidua luce, radiante! O annum, omnis posteræ memoriæ decus immortalitati consecrandum, ex quo bis sæcularibus festis celebratis, Austriaci Cæsares regnant in æuum beatissimum hominum votis, superum auspicijs, orbis terrarum bono, cælo sospite nunquam interrupta FERDINANDORVM successione, aliorumq; magnorum nominum perennaturi. Nec auspicijs caruit ijs Ianuarijs kalendis ad regna inaugurari Austriacos Heröes, diuini violati Nominis acerrimos vindices, quæ in cæli, & christiani orbis fastis, Augustissimo IESV nomine consignantur. Interim ex dote ELISABETHÆ omnium Austriadum Reginarum felicitatem dotalem, ac tuam MARIA ANNA auspicare. Ex hoc primùm coniugio nata est Austriaco generi Gemella magna Regnorum soboles Bohemiæ, & Hungariæ. Ipsa etiam Imperij in Austriacam Domum redux felicitas, auctarium dotis cęsareę fuit, Sigismundi soceri Augusti auctoritate addito pondere septemuiralibus calculis, qui in ALBERTVM propendebant.

Plutar.

Ab ann. 1438. ad an. 1649.

Non est diu feriata tanta felicitas. Primam lauream Bohemia germinauit. Eam tumultuosam sæpe sitis regibus ingrediens cum exercitu ter maximus Rex ALBERTVS Henricum Ptasconem, & Georgium Podiebradium, qui Casimirum Poloniæ regem ad Bohemicum solium euocarant principes coniurationis, spe deiectos in ordinem redegit, simulque Vladislaum Principem Casimiri filium nouarum rerum molitoribus Bohemis suppetias ferentem cum inglorio recessu, imò & probrosâ fugâ repulit, famâ potius bellatrice conterritum, quàm contritum ferro victore. Eâdem flammâ in Amurathem magnum Othomanici imperij Sulthanum hoc belli fulmen, Austriacus Scipio, cum exercitu rapitur. Europam, Asiam, Africam quà mahumeticæ superstitionis labe coinquinatæ othomanicæ lunæ incrementis, ac decrementis insaniunt, lectis maximis, & fortissimis ex vniuerso Turcici Imperij orbe copijs, Thracius Tyrannus in Hungariam mouerat, & diluuio barbarorum, vrbes depopulante, domos exhauriente, deuastante agros, iugulo regni ferox licentiâ nocendi imminebat. Inter Tibiscum, & Danubium castrametatur ALBERTVS Cæsar, flumina victorijs austriacis toties in historijs cęlebrata. Othomanicus eius aduentu cognito retrocessit, solâ cum tanto exercitu prostratus opinione virtutis, ac tota illa barbarica inundatio illicò detumuit. Suprà Iulianum Trilogium, felicissimus Austriadum Cæsar antequam veniret, ac videret hostem, vicit. Malè sani capitis est timęre sibi a ferrugineâ Lunę, quasi hostiliter minantis

Victoria Bohemica

Othomanicũ exercitum ad fugam adigit.

K facie:

facie: cum rubescit sanguinolenta, tunc patitur, & est ex vulnere, non ex irâ instabilis planetæ rubor. Certè visa est Thracia luna, stante aduerso Austriaco sole, obiectu amplissimi exercitus veluti magni terræ corporis eclipsim pati, insolenti, & rarâ defectione illi nationi, quæ suorum Principum duris imperijs mancipata ad omne etiam certum exitium ruit, eâ vitâ quam negligit, suo quoque præiudicio prorsus indigna. Verum ò nubilum semper diuinorum consiliorum cælum, & sua hominibus scrutatoribus obtento veluti sipario cælans! O summa rerum humanarum ruinę proxima humiliori, & grauiori, quò sublimiora, & maiora, ipsa sublimitate, & magnitudine citante casum, alasque addente! Illustriori, & sudo supra modum cælo diuturna vita non est: arridere videtur, sed adulatur splendido quodam mendacio placens, illustris tempestatum parens, serenitas. Ex primâ fronte meretriciâ fortunæ blandientis, & lenocinantibus cachinnis, non est captandum omen vitalis, ac longeuæ felicitatis, quæ si magna est, rosæ instar cum latius explicatur, contabescit. Noua, & inusitata sidera, quæ aliquando cælum accendit, spectatores mortales in admirationem trahentia, vitam immortalem aliorum astrorum non viuunt, sed cometarum breuem, licet minime infelicem.

In reditu a victoria turcica moritur. Ergo in reditu à Turcicâ victoriâ gloriosissimo inuida mors nullâ reuerentia triumphalis Imperatoris absterrita, nullo terrore perculsa victricium copiarum, Austriadum felicissimimum aggreditur, cæli terræq; maleficijs armata; latrante inter sidera de cælo rabidâ caniculâ, ac mordente, febri ex intemperato malopeponum esu arrodente, ac depascente viscera, triumphum funere anteuertens, epinicion epicedio, plausum planctu, festam pompam funestis inferijs, non capitolio infert, sed mausoleo Augustum victorem. Ita dignus sæculari felicitate ante biennium sublatus est è viuis ALBERTVS semper magnus, sed solis instar maior visus, cùm caderet. Eius mortem Cometes præcessit, solis eclipsis subsecuta est; *Prodigia in eius obitu.* quasi præfica rerum natura, optimo principi tot populorum parenti, prodigijs parentaret, & cælum publicum luctum indicens, se totum celebrando tanto funeri impēderet, atratam pullato syrmate diem extinguēs, & bustuariam nocturnam facem accendens. Obijt ALBERTVS hæ-
1439. 5. Kal. Octob. reditariâ ab ALBERTO I. Cæsare Abauo fortunâ triumphorum, ac mortis in sinu victoriarum, in flore ætatis, in omnium desiderio, cùm maximè viuere mereretur, eodem tempore morte cupressum falce carnifice, & victoriâ ense triumphatore eidem capiti laurum metente. Nulla arbor facilius lauro inseritur quàm cupressus, imò & sæpius eidem, tanquam nobili stirpi spurius stolo sponte adnascitur. Mors & mars cognata nomina æquo iure in bellis regnant. Etiamsi laureata capita cælum non fulminet, nulla tamen illa a martis, & mortis fulminibus sospitat laurus. Verum sat diù viuunt qui Deo viuunt: Olympias in sęculum explicatur, cùm olympo viuitur, moribus celo dignis. Mortem honestat non annosa vita, sed virtus veterana, & emerita. In illud quisque niti debet, vt glorioso aliquo extremo actu pulcherrimę vitę suę fabulę plausum excitet; ideò enim nascimur vt honestè cadamus. Post illud immortale factū nihil debuit ab ALBERTO mortale fieri, expellente simul cū vi mor-

bi,

bi, summâ letitiá inter plausus animum victorem ad Celum. Vt olim Asia Macedonem magnum luxit, ita Europa ALBERTVM HONORIFICVM, vtrunque triumphis ereptum, illum naufragum in aureo poculo, hunc suauissimo fructu iugulatum. Germania verò licet durata suâ glaciali hyeme, in lacrymas omnium oculis tenerescens fere extabuit, magni vnius Imperatoris cineribus multarum prouinciarum vndantes luctus exhaurientibus. Sed apagite lacrymę tanti funeris pręficę: Adhuc superstes in suis ALBERTVS Augustus, plausibus excipiatur. Fęnix dum moritur, oritur, dum perit, parit, trahitq; fœnus è funere. Ita Austriacæ felicitatis Fænix ALBERTVS è suis cineribus, parturiente rogo, toti fere orbi regendo, Imperatricem, ac Regnatricem posteritatē in æuum, sui nominis gloriá, ac potentiâ peperit. Inter eius laudes hæc princeps sit, quòd sæcula omnia mansuram magnam structuram Austriæ Domus, biennio coronauit. Iam duo anni ALBERTI Cæsaris, duo sæcula regnantes trahunt, & consequente æternitate premuntur. Hæc princeps victoria quòd triumphali manu fugitiuam felicitatem ad suos retraxit, & felicissimo consilio peregrinanti imperio stabilem in Austriaca Domo sedem, decreuit. Sic post solis occasum nascitur siderum, stellantis veluti posteritatis, firmamentum.

Alb. virtutes.

Ita tamen inclaruit suorum gloriá ALBERTVS, vt suâ non caruerit, bellicâ præsertim laude incomparabilis, & quod monstrum fuit, sed virtutis, & innocens, cum summâ mansuetudine coniunctâ. Si temperetur fortitudo clementiá, ex Imperatore Heroem facit, & nescio quid diuinum ex homine. Bellatores illi genij, & mites in principibus veluti astra sub ferarum nominibus, non innoxiè tantum, sed & beneficè splendent. Visus est Camillum cum Fabio miscere, fortisque cunctator, ac prudens triumphator rem Austriacam restituere. Habuisse ferunt inter artes in odijs saltatoriam, venatoriam verò in amoribus. Bellatorem Principem se mallebat cum Augusto, quam histrionicum saltatorem cum Nerone. Illas tantum choreas amabat, quas exercent rectis erroribus peregrinantes stellæ, vigilans cum illis orbi terrarum etiam dormienti, non quas implicant otiosorum hominum phrenetici motus. Nec vero minus delirium est, quia publicum, & quia cum plausu insanitur ad numerum. Inter siluas deinde victoriarum gymnasium instituerat, belluis bellis, subactisque capreis, & ceruis, atque alijs humanioribus feris, hominum monstris subigendis proludens. Sed illa opima Augusti venatoris præda, cùm victrices Romani Imperij Aquilas, quæ iam sæculum integrum ab Austriá auolarant, diuino quodam consilio aucupatus est, ac bonas istas aues, Austriadum æuiternæ felicitati auspicatissimas dedit. Vno verbo talem poscebat Heroem Austriaci Imperij iuuenta, qualem habuit ALBERTVM II. HONORIFICVM.

Ladislai posthumi felicitas, sed breuis

Occumbens in eo felicitas austriaca non solum in FRIDERICO IV. Cæsare patruele, sed in ipso filio LADISLAO posthumo statim reuixit, qui adhuc quadrimestris explicatis in diadema fasciolis ad regiarum cunarum solium tributarias excepit Hungariam, & Bohemiam, voce suorum Procerum coronatum Infantem, Regem consalutantes, lacteolâ

manu ſupra fabularem Herculem felicius ſceptra prementem, quàm angues. Sed hìc etiam felicitas in ſua inconſtantiâ tantùm conſtans, vultũ mutauit & fidem, quemque in ſinu lactarat, tandem proiecit. Nam dum in aulâ FRIDERICI Cæſaris, cuius auſpicijs regium ephebum cum coronâ Sancti Stephani Hungariæ Regis prudentiſſima parens ELISABETHA Auguſta crediderat, educatus, Magdalenam Valeſiam Caroli VII. Regis Chriſtianiſſimi filiam, ſibi deſponſam nobiliſſimâ legatione, & pretioſiſſimis donarijs aduocat è Galliâ cum ſpe magnificâ regiæ poſteritatis, luctuoſo fraudulentæ mortis maleficio tumulus pro thalamo ſupponitur, & LADISLAVS inter hilaria nuptiarum è viuis ſubducitur. Ita falcatum mortis ferrum cum popularibus herbis, etiam *inſcriptos nomina regum* flores metit. Simul in LADISLAO auſtriacæ genti occubuere Hungariæ, & Bohemiæ regna, illud Ioanne Coruino, hoc Georgio Podiebradio occupantibus, iterum tamen reuictura in æuum glorioſiſſimum, explicatâ extra Hungariæ, Bohemiæ, & totius Septentrionis fines, in Ortum Occaſum, & Auſtrum, vltra terrarum, Oceaniq; vias, ac ſolis vtriuſque pueri, & ſenis cubile in Hiſpanis Monarchis, dominatione. Hæc Te manet maxima Hiſpaniarum Regina MARIA ANNA potentiæ immenſitas, hæc gemini ſolis purpura, hoc terrarum pondere graue ſceptrum, hic par orbis terrarum circulo annulus, Aſiâ, Europâ, Africâ, Americâ regalem tuum thalamum adornantibus. Interim dotalem tuam felicitatem ex ELISABETHA Sigiſmundi Cæſaris filiâ, ex cuius nuptijs cum ALBERTO Auſtriaco nobiliſſima imperij, & regnorum proles nunquam moritura nata eſt in Auſtriâ tuâ Domo, & feliciſſimi coniugij tui, magna auſpicia concipe.

Iterum in Auſtriaca domo coniugia feliciſſima.

ALBER-

ALBERTVS II. HONORIFICVS

Auſpicia

Apage cum obliquo lituo etruſce Haruſpex:
Adſum ego germanæ veritatis rectus interpres.
Ex bonis Auis non auibus augur,
Auſpicor ALBERTO, dum naſcitur, ſummos honores.
Si placet innocentem cabalam addere augurio:
Ex multiplici etiam nomine auſpicabor hominem.
ALBERTI IV. patientis filius,
ALBERTI III. patriæ patris nepos
ALBERTI II. ſapientis pronepos
Quid ni Heros ſit tantorum nominum hæres?
Quis ſummè diuitem eum neget,
Qui in ſuis hæreditarijs nominibus omnes virtutes numerat?
Sapientia Probitatem, Probitas Fortitudinem parit.
O nobilis felicitas, quæ naſcitur
Matre Fortitudine, Auia Probitate, Proauia Sapientia!
Auctore generis Dei cultu in ſacra fruge latentis,
Non degener poſteritas frugiferarum virtutum ſequitur.
Imperatrix poſt diuinas humanarum virtutum Religio
Illarum in Imperatrice Familia agmen ducit.
Poſt adductum a magno RUDOLPHO in Auſtriacā Domū
Euchariſticum Cæli Panem,
In ea omnes Cæli Charites hoſpitantur,
Et iam de Familia Hauſpurgica ſunt.
Sapientia, Probitas, Fortitudo
ALBERTUM de ſuo virtutes domeſticæ, Cæſarē creant,
Argenteam coronam ſapientia, auream Probitas
Fortitudo ferream imponit.
Regem, tantarum virtutum hæredem
Ambire virtutes ipſæ ambiunt.

Iure mundus illius insidet capiti
Qui possit virtutibus suis familiaribus illum sustentare.
Iure regnum nanciscitur
Triplici maximo Maiorum titulo in regem natus,
Sapientia, Probitate, Fortitudine.
Sapientia regem elegit, Probitas inaugurauit,
Fortitudo firmauit.
Tales Maiores Cælum dedit ALBERTO,
Ut posset esse magnus, etiam antequam nasceretur.
Dubitatum est dederit ne in auspicium tantùm,
An etiam in præmium.
Adolescentia Austriaci Imperij,
Incrementis robustarum virtutum debuit grandescere.
Auspicor tibi etiã ALBERTE HONORIFICI nomen
Ac totum in breui titulo romanum imperium.
Ut fatum Nominis impleas:
Aut facient se tibi honores,
Aut illos tibi facies.
Iure deinde tuo Honorificus honores faciens,
Transmittes hæreditarios ad Tuos.
A familia virtutum non nisi impius regna,
Non nisi inuidus felicitatem proscribat.
Ita ludens in orbe terrarum Archetypa Prouidentia
In nominibus prolusit ALBERTO.
Ubi Numen sine verbis
Solis nominibus loquitur,
Stupor venerabundus verba suspendit.

SY-

SYNOPSIS GENEALOGICA
AB ALBERTO II. HONORIFICO
AD FRIDERICVM IV. PACIFICVM.

ACcessit ab HONORIFICO ALBERTO ingens honor Hungariæ, Bohemiæ,& Imperij coronis,sed breuis: cùm maximè vernabat tantus flos felicitatis elanguit, vix secundũ annum principatus agente Cæsare Austriaco. Non ita scitè Apelles Alexandrum fulmine armatum repræsentauit, sicuti seipsum expressit ALBERTVS HONORIFICVS, vbi pro tessera suorum consiliorum fulmen assumpsit, hoc lemmate loquens, TOLLE MORAS, auspicans sibi hoc symbolo fortunam fulminis instar victoriosissimam sed ocyssimam, seque & Hussiticæ superstitionis & Othomanicæ barbariæ fulmen futurum, moribundi splendoris, & post victoriam statim expirans. Etiam Hyades pulcherrima sidera, cùm lætiori vultu splendent tunc maximè pluuias nunciant, ac fere incipiunt è Cælo lachrymari. Nati sunt illi ex ELISABETHA Augusta GEORGIVS patri præreptus & LADISLAVS posthumus absolutissima imago paternarum virtutum. Habuit hic ab vtroque parente hæreditaria, odium in hæresim, & amorem Orthodoxi nominis propagandi, elegantissimæ formæ princeps, & cælestium morum. Eius vox extrema omnibus principibus pro oraculo esse posset. *ego*, dixit, *ita vixi, vt cælum mihi negandum non putem*. Sic cæli securus, e terris abijt. Par etiam nobilissimum regiarum fœminarum ELISABETHA ALBERTO procreauit, ANNAM Vuilhemo Saxoniæ Duci,& ELISABETHAM Casimiro poloniæ Regi, matrimonio copulatam. ELISABETHA inter fortunatissimas Austrij stemmatis Heroides, locum fere Principem meruit vt pote non solum Casimiri Regis Poloniæ vxor ALBERTI Cæs. Filia, & LADISLAI Regis soror, sed quatuor Regum mater Io. Alexandri, Alberti, Vladislai, Sigismundi, & Ludouici Hungariæ, & Bohemiæ Regis Auia. Interim dum regna vrgente matre, & fere dixerim pariente LADISLAO nascebantur, imperium FRIDERICO IV. Pacifico Austriaco, qui ex communi Proauo ALBERTO Sapiente genus trahebat augustum per ERNESTVM Ferreum, & LEOPOLDVM PROBVM, hoc vt habemus ex fastis Austriacis, ordine, de latum est.

ALBERTVS II. Sapiens.

ALBERTVS III. PATRIÆ PATER	LEOPOLDVS III. Probus
ALBERTVS IV. Patiens	ERNESTVS I. Ferreus
ALBERTVS V. inter Austriacos Principes, & inter Cæsares II.	FRIDERICVS inter Aust. Pr. VI. inter Imper. IV.

LEOPOLDVS ex Virida Barnabæ Vicecomitis Mediolanensis principis filia, iam tum Insubria Austriacis Principibus desponsa, Austriacam domum septem liberis illustrauit veluti fulgentissimis planetis gentilitium cælum. His nominibus in austrijs annalibus censentur VVILIHEMVS I. cognomento Aulicus, FRIDERICVS V. ERNESTVS augusti sanguinis propagator, LEOPOLDVS IV. Crassus, ELISABETHA IV. Comiti Goritiensi desponsa, AGNES Boleslao Duci Suidniensi in Silesia nupta, & CATHARINA VI. Burgauio Magdeburgensi.

ERNESTVS Ferreus decem liberorum corona regnatricem familiam Austriadum nobilitauit, præter plures alios in infantia è viuis sublatos ex MARGARITA filia Bugislai Pomeraniæ Ducis. Altera etiam illi vxor fuit CIMBVRGA Masslouia; sed liberis caruit. Eo quo nati sunt ordine, sic numerantur

ERNESTVS II.
RVDOLPHVS V.
LEOPOLDVS V.

ALE-

ALEXANDRA.
ANNA VI.
FRIDERICVS Cæsar.
ALBERTVS VI.
MARGARITA II.
CATHARINA VII.
ELISABETHA V.

FRIDERICVS omnium consequentium Cæsarum Austriorum, & Hispanorum Monarcharum pater, pacis felicitate, diuturnitate imperij, magnanimitatis laude, omniumq; virtutum titulis Octauianum Augustum inter Imperatores geminasset, nisi dedisset se ipsum, magno etiam Augusto maiorem.

IMPE-



Fed. Agnellus sculpsit

IMPERATOR CÆSAR FRIDERICVS IV. PACIFICVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS, REX GERMANIÆ DALMATIÆ, CROATIÆ, ARCHIDVX AVSTRIÆ, DVX STIRIÆ, CARINT., CARNIOL., SVEVIÆ, LANDGRAVIVS ALSATIÆ, COMES HAVSPVRGI, TYROLIS &c.

ADes ò Pax Optima rerum, Indigetũ Cæli Heroinarum Pulcherrima, Prudentiæ filia, mater Probitatis, Iuſtitiæ vindex, altrix felicitatis, Comes virtutum, Regnorum ſeruatrix: ingredere Hauſpurgicam Domum, numquam retractura alma veſtigia, quæ impreſſeris, niſi cum innocens AVSTRIADVM violata Maieſtas, aut contra ſuas, aut contra diuinas, quas cum ſuis coniungit, iniurias, armabitur, Cycnorum more, qui tantum laceſſiti in pugnam veniunt. Tu verò, MARIA ANNA, quæ in ipſo pleno Imperij, & Gratiarum nomine, mutuata a pectore, atq; ore regnantes Charites, Imperia Gratiarum præfers, Spes Publica Pacis, arride tui PACIFICI FRIDERICI nomini, vt in comperto ſit, quo magnanimo ſenſu feraris in pacem, vnicum modò, & commune Mortalium Votum, ac felicitatem, quæ à tuis manibus orbis terrarum expectat. Tu nata inter ferruginea bellorum nubila Iris tempeſtatum pacatrix, præſagam ante Regij Infantis ſerenitatem, naſcentis ſerenitatem Pacis hoc bellicoſiſſimo ſeculo auſpicatò præmittes. Illuſtrabit Sereniſſimus IMEANS MO-

 NARCHA

NARCHA orbem terrarum copiosius, si cælum innube inuenerit, & seculum innocens. Vbi iusseris REGINA potentissima beneficiis tuis imperijs abire ferrea sæcula, aurea fluent.

Omen interim capto ex FRIDERICO tuo Pacifico ERNESTI Ferrei filio. At quibus coloribus dabimus Pacificum filium ex ferreo Patre, confundentem pugnantia nomina? Nobile monstrum dicerem ex bello, & pace conflatum, nisi scirem Pacem posthumam bellorum filiam esse & bellis fere semper bella debellari. Sua ætas ita Patrem, filiumq; composuit, vt Ferreum Patrem, Pacificum filium appellaret. Quamquam temperato vtriusq; nomine nec FRIDERICO sagatæ, nec togatæ artes deessent ERNESTO. Eius Auus LEOPOLDVS Probus, Proauus ALBERTVS Sapiens, Natorum ALBERTI Triumphatoris Minimus, cum magnis tantùm hisce titulis in Austriacis fastis leguntur. Non nisi sapienti manu, probisq; consilijs vibratum ferrum pacem edit illustrem, & nobilem. Vtrâq; enim quodammodo Consule virtute, sapientiâ, & probitate, ferri debent leges pacis, ne aut parum vtilis Reipublicæ sit, aut parum decora Principi.

1411. ka. Octob. Friderici gentilis origo.

Pacem sui nominis non fefellit FRIDERICVS. Primum Auspicium implet, cùm adolescentiæ primâ aurorâ in oriente pijssimè adorandis Corporatæ Diuinitatis vestigijs consecratâ rediens, adhuc Penulatus Pace inter septemuiros Principes partâ, concordibus sententijs ad Paludamentum vocatur, imposito diademate Mundi mole, & Cæsaris nomine grauissimo, & potentissimo. Brutus religiosior, Terræ Sanctæ, non communis, & profanæ osculis initiatur ad regnum. Vitæ melioris natales è sepulchro dominico inijt, Phœnix in eo pietatis renascens. Et certè quis non proficiat ad pietatem, vbi non solum Cœlum, sed terra sanctissima est, & ipsum lutum cæcorum oculos aperit? Non mirum etiã ex peregrinatione Hierosolymitanâ, ab vrbe Pacis, PACIFICI titulum retulisse. Amantissimi pacis Cæsaris plurimum operâ Amedeus pacificus Allobrogum Dux supremâ, se dignitate orbis orthodoxi Dominâ Reginâq;, ac Tergeminâ Tiatâ singulari pacis, quam nomine præferebat auspicio, modestiæq; coronatæ, & principis exemplo abdicauit, exuens ipsum FELICIS nomen. Ita biceps Pontificatus, monstrosa Religionis labes, sublatus est, & integrum imperium veri Pontificis humeris sedit. Quid non felicitatis Terris pariant, si coniuratis in vnum centrum radijs beneficæ stellæ iungantur? Vnius soni gemellæ Citharæ ijsdem legibus musicis attemperatæ, eundem concentum reddunt, Citharistriâ echo, non oratrice tantùm, sonum reciprocante. Sed maior est cordium concordia, quàm chordarum, si vnum sonum, & concentum ferant. Quod poterat esse sententiarum Duellum, inter Pacificos Principes, quos Pacis nomen, & amor, agebat nonnisi in Pacem, orbis terrarum publicum bonum? Ex vnâ pace, sicuti ex bellis bella, mirâ fæcunditate semper alia pax progerminat. Primùm pacatur Austria intestinis tumultibus concussa, ac de LADISLAI tutelâ, veluti, de Græciæ Helenâ, aperto Marte decertans, tũ tota Germania, & grauidus semper bellis Septentrio, quẽ è sui Cœli, Tellurisq; ingenio, truculentæ Vrsæ, ac virulenti angues, &

Rex Romanorum inauguratur post reditum a peregrinatione Hierosolym.

1439. ka Aprilis.

Austriaci Cæsaris opera Amedeus pacificus abdicat se pseudo pontificatu.

duratæ

duratę ęterno gelu horrentes hyemes ciuilibus defectionibus aduersus pacem armarant. Aquiloniæ istę procellę ferè nunquam sine fulmine inermes fulgurant, ac tonant.

A Septentrione, ad eius pacificum nomen composito, Romam FRIDERICVS petijt Romani Orientem Imperij, vt pacis amator Cæsar solemni etiam pompâ salutaretur Augustus, ac Iani templum suâ manu clauderet, argenteamq; germanicam coronam aureâ romanâ coronaret, faceretq; pretiosiorem. Abstinuit tamen a ferreo Italici Regni diademate, honestissimâ legatione ab Insubrico Regulo ad id prouocatus, quasi a ferro illo etiam coronario timeret, ne quid detrimenti caperet PACIFICI titulus. Neq; hæc Cæsarea expeditio fuit, sed continuati per totam Italiam Triumphi species inusitato Principum, ac Populorum concursu, primi ex Austriaca Gente Potentissimi Imperatoris in Italiam aduentum, omni plausuum genere celebrantium. Auctarium felicitatis accessit ELEONORA sponsa Eduardi Lusitaniæ regis filia, honorariâ classe Vlisippône, per claustra oceani, emensis multorum nominum maribus, in Italiam aducta, & Senis excepta, omnium Italorum Dynastarum gratulatorijs officijs, ac densissimâ mortalium omnis generis frequentiâ, impenso toto in apparatum nuptiarum Germanico, & Italico Regno, quâ Cæsarem rerum Dominum veneratur. Eadem Lusitania feliciori connubio Pronepoti CAROLO in ISABELLA, dotale etiam regnum desponsabit, Atlantici Oceani opibus, Indicorum marium vnionibus, innumerabilium Auroræ Populorum, ac Prouinciarum auro, gemmisq; Brasilianis Americani Orbis vectigalis tributis, & pretio totius Orientis, qui eodem, quo ISABELLA CAROLO, coniugio occidenti iungetur, coronatum. Cæpit tunc Austriadum nuptijs, vt etiam tuis AVGVSTISSIMA SPONSA Oriens, Occidensq; simul plaudere; & Cælum molitioni Hispanæ Monarchiæ in ELEONORA proludere.

Romam petit vt Augusti insignia accipiat.

Kalendæ Apriles Cęsareorum Coniugum inauguratione solemni Romę celebratæ fuere Nicolao V. Summo Pontifice Reginas Dextras iungente, atq; Augustos rite creante, diademate imposito, alijsq; Imperij insignibus, acclamante interim Populo Romano in has voces.

1452. Augustis insignibus decoratur a Summo Pontifice Nicolao V cum coniuge Eleonora Aug.

FRIDERICO PACIFICO à Deo coronato, VITA, ET VICTORIA. Auspicatissimas hasce voces, quas non in Austriacis tantum fastis, sed in cælestium orbium voluminibus stellarum characteribus, æternæ sapphiro adscriptas perlegim, Omnibus austrijs Principibus ad precor, reddente echo faustissimam Orbe Terrarum. OMNIBVS AVSTRIIS PRINCIPIBVS à Deo coronatis VITA, ET VICTORIA. Hic aprilis continuatâ successione in Austriacâ Gente, florentissimum Potentiæ, ac Felicitatis ver aperuit. Quamquam in hoc flore fecundissimarum rerum omnis mensis, Aprilis esset, & ipsi etiam gelidi Decembres vernarent. Ex hoc Aprili pullulabunt in æuum semper inscripti nomina Austriorum Regum serenissimi flores, concolori cum Cælo Sapphirinâ serenitate, nimirum innocenti prorsus, celestiq; Maiestate, præsertim aspirantibus Austris, a quibus lętissimâ fæcunditate omnis florea natio propagatur. Inuitatus post romanam inaugurationem Cæsar ab Alfonso

L 2 Rege,

Rege, Auunculo ELEONORÆ Augustę Neapolim diuertit, vbi florentissimam Parthenopem, & opulentissimam Campaniam, Rex in obsequiũ prodigens, eum exquitissimis delicijs excepit, nec tamen illis fractus est Austriacus Annibal, sed fortior extitit, & quantum patiebatur amor Pacis, Victoriosior. Inde Ferrariam digressus Borsium Estensem, Mutinæ & Regij Ducem, ac Rouisij Comitem creauit. Eâ verò a Serenissimâ Venetorum Republicá in reditu in Germaniam exceptus est regiâ magnificentiâ, quæ Adriatici Maris Reginam, Othomannarum Classium toties Debellatricem, Imperij Turcici æmulam, totius Orientis opibus diuitem decebat.

Reditus in Germaniam.

In Germaniam reuersus Pacificus Augustus, visus est secum Comitem Pacem trahere vbiq; Imperatricem; ita Statim Bohemos, & Hungaros bellatores populos, de LADISLAI Austriaci solio certãtes cõpescuit. Nescio quo fato vtriq; Populi ad se LADISLAVM armis trahebant, amore animorũ conciliatore abortum faciente, cùm bellum eniteretur, procul dubio e Patre amore monstrum. Quamquam semper monstrum est bellum à quocunque tamdem prodeat genitore. Palmas alteris cruentas eripuit, vt vtrisq; donaret oleas innocentes, feliciori sine prælio, & maiori victoriâ. Felicius siquidem est victorias pugnis præripi, quàm illas consequi, & pugnas ipsas expugnari, quàm hostes. Addidit Hungariæ, & Bohemiæ Pacis sacramento fœderatis, mediam inter vtramq; Austriam, in quâ nouarum rerum molitores, & ferro subegit, & auro mulctauit, iustissimá pœnâ, vt expiet aurum ferri scelera, siue potius quidquid auri amor omnium scelerum Architectus, administro ferro peccauit. Pacatæ Austriæ, quia pax semper felicitatem suis auctoribus fœneratur, adiecit in suam potestatem redactum Ciliensem Comitatum, iussitq; Stiriæ partem esse, & nobilem appendicem auitarum Ditionum. Henricum etiam Goritiæ Comitem tumultus excitantem Austriæ circumsonantes, non sine Reipublicæ detrimento, ac nouarum rerum periculo, in ordinem redegit, ipsâ victorię moderatione ostendens, se pacis amatorem, etiam cùm pugnaret armatus, & solo pacis amore ad bellum rapi. Belli Turcici consilium sępe inijt, expeditionemq; totius Europæ in Orientem procurauit, præsertim in Constantiensi Concilio Pio II. Sacrorum Christianorũ Rege, Supremoque Romano Antistite Sacrum Bellum suadente, septemuirali senatu suffragante, nec refragantibus alijs Germaniæ Regulis, & Europæorum Principum Legatis, cùm Mahumetes. II. Captá Imperij Oriẽtalis Sede Constantinopoli, Occidentis Imperio, imò toti Occidenti formidandus, Asiæ fere vniuersæ, atque Orientis viribus insultaret. Sed nunquam sacro, & magno operi manum admouit, fortasse consequentibus ferè statim intestinis malis prohibitus, ne ad externa reprimenda accurreret, reseruantibus superis Gloriam Turcicarum Victoriarum Posteris Imperatoribus Austriacis.

Infelicitatem summam duxit Pacificus Princeps, quòd cùm omnium externorum amores in se excitasset, suorum incurrit in odia, externis bellis truculentiora. Nulla bella hostilius sæuiunt, sanguinemq; sitiunt, aut bibunt, quàm consanguinea. Nullæ curæ acrius torquent Principem, quam

quàm quæ indigenæ naſcuntur in curiâ, & de familiâ palatinâ ſunt. ALBERTVS frater ſanguinem abiurans, & Ciues Viennenſes fidem à FRIDERICO deficiunt. Ille Fratrem in vrbe obſidet: Iſti Patrem Patriæ in arce, deteſtandâ vtrinque, ac parricidali impietate. Vicit, ſed vt Pacificus ſolam pietatis famam captans, quæ non ſolum amorum, ſed populorũ conciliatrix cum amoribus populos rapit. Glorioſiſſimũ duxit de ſuo ſanguine ſine ſanguine triumphare, & inſaniam refractariæ plebis nõ vindice manu punire, ſed ſanare beneficâ. Summũ arbitratus eſt triũphi genus ſe ipſum victorem, & ſuas victorias vincere, ferri triumphalis inſtantis impetum, ingenitâ ſuâ pace cohibere, ac veluti dulciſſimo ſomno ſub palmâ quieſcere. Placet populo in regiâ fronte, ac titulo illa ſerenitas, quæ aliquando quidem fulgurat, ac tonat, ſed citra fulmina. Apum Reges ſine aculeo ſunt, ideò Reges, quia innocentes, ſi nocere incipiant Regnum in iniuriâ amiſſuri. Odiſſe debet Princeps ea bella, in quibus vincere miſerum, vinci etiam indecorum eſt, cùm æquè victores vincuntur, & victi. Dummodo triumphet, felicius auro vincit, quàm ferro, oleâ coronatur quàm Lauro. Præſtat tamen ſiue in clementiâ victoria ſit, ſiue in ſeueritate, moras omnes abrumpere, ne hæc longæua minus timeatur, illa etiam deſpiciatur. Pace potentiam cohibente FRIDERICO, illamque potiorem habente, Matthias Hunniades Coruinus victorioſiſſimus Hungariæ Rex, Viennam perduellionis ſedem capit, continuatâq; populatione multorum annorum, Pannonijs militibùs infelix ſpoliarium Vrbem Auſtriæ Principem facit, tot Auſtriadum Imperatorum magnis nominibus coronatam, & Germanicorum veluti Cæſarum Romam. Ita ſæpe fit, vt internorum tumultuum ſtrepitus externum populatorem vocet. Aſſequta eſt ſceleſtos pœna, non claudo pede, ſed alis talaribus. Magna ſcelera ex orco euocantibus, ſtatim cum ſecuri & faſcibus Deus occurrit; neque enim diu fert vterum grauida fulminibus nubes. Iuſtiſſimis vindicijs e cælo mulctati ſunt Viennenſes, vt duro iugo Domini bellatoris premerentur, qui paterna Pacifici Cæſaris imperia excuſſerant. Non ita ſibi deinde a pace gloriam peperit FRIDERICVS, vt in bellis inglorius fuerit. Arma bello franguntur, pace ſeruantur poſt otium actuoſiora. Armeniacorum exercitum, ſiue potius armatam miſerorum ſnorionum colluuiem, immiſſam ad conturbandam Synodum Baſileenſem, indignam Imperatoriâ victoria, & Auguſti manu per legatos occidione deleuit. Sed nihil inde Pacifici Titulo detractum. Victoria enim potius fuit quàm pugna, & cum prædonibus non cum hoſtibus. Pari fortunâ, ſed gloriâ maiori Carolum cognomento Audacem Burgundionum Regulum, Principemque Belgicarum Prouinciarum rebus in bello geſtis, ipſoq; nominis elogio clariſſimum, octoginta milliũ militũ copijs inſtructũ, ac tota inferiore Germania, aduerſus ſuperiorem armatum, à Noueſij expugnatione recedere coegit, ex pacis amore, bello bellum fugante.

Bellum cum Alberto fratre & Ciuib⁹ Viennenſibus.

Bellum aduerſus Armeniacos.

Geminauit Victoriam imò ſtabilem triumphum decreuit, coniugium inter MAXIMILIANVM Auſtriacum, & MARIAM Burgundam, vnicos FRIDERICI, & CAROLI, ac paternorum Regnorum Heredes. Solemne iam eſt in Auſtriacis Hymenæis, cum flammeo Purpuram, cũ

Maximiliani Principis coniugium cũ Maria Burgũda fortunatiſſimum. 1482.

tædis

tędis Sceptrum, cum florum corollis, Principatuum Coronas, in vnum consociari coniugium, & Austriæ Regna maritari. In ANNA RVDOLPHI magni coniuge, tot Heroidum Austriarum stirpe venerati sumus primam dotalem Augustæ Gentis felicitatem. Hanc nunc cumulatissimam in MARIA, quam decem & octo Prouincijs coronatus, Burgundiâ, Belgioq; florens, ac diues Hymeneus infert in Austriacam Domũ, gratulamur. Quid auspicari PHILIPPO maximo non liceat, ex MARIA ANNA coniunctis magnis nominibus ad beatissimam Faustitatem? Ita Regijs Pignoribus, charis, pretiosisq; inter FRIDERICVM & CAROLVM, alta pax sancita est, eo adamantino nexu, quo sidera inserta Cælo in sinu æternæ pacis irradiant. Inde Brugenses, Principem Flandriæ populum, MAXIMILIANVM filium Dominum belgicarum rerum, detestabili exemplo, iam tunc belgico Leone frænum Austriacum detrectante, & manum Dominam lacerante, in liberá custodiá, intra Vrbem detinentes, ita superauit pacis amator, vt in Brugensibus amænissimis hortis ex monito Tarquiniano sola papauera, idest capita coniurationis decusserit, alijs minoribus floribus, ac veluti plebeijs indulgens, vbiq; Pacifici sui Genij cultor.

Brugenses domiti, et mulctati.

Reliquum vita Pacificus Cæsar pacatissimè traducit.

Reliqui anni FRIDERICI tamquam piaculares paci consecrati sunt, cui ex magni Scipionis Africani consilio potior victoria erat, vnum ciuem seruare, quam mille hostes delere.

Virg. 2. geor.

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Ostendit mollibus consilijs Pacificator Orbis terrarum, qualis esset aureę ætatis facies, cum Pax Domina rerum inter Astræam, Charitesque regnabat, & inter virtutes mundũ proscriptas, quæ si aliquando etiã nunc ab exilio cælesti in terras reuolant, cùm classicum insonat, aut exterritæ in Cælum fugiunt, aut saltem ægre inter bella stationem tuentur. Pacem quam terris peperit in se prorsus cælestem seruauit.

Luca.

Minimas rerum Discordia turbat
Pacem summa tenent.

Cælum dixisses, quod halitus, vaporesq; ab ipso excitati, ne quidem tangunt. Eius dictum fertur, quo nec magis aureum Oraculum ab ore pacis prodire posset. *Principes quasi scopum eiaculatis conuicijs expositos esse, sed extra iactum, si eos magnanimitas in Cælo locet.* Vndè eádem pacis serenitate cælesti, vt olim de Artaxerse Monarchâ celebratum est probra excipiebat, & laudes. Hauspurgicos coronatos Leones, canum latratus non terrent. Quæ orbes cælestes circumferunt, ac rotant motrices Intelligentiæ, semper mouentur, sed sine vllâ vmquam vertigine. Tandem post publicatum terris cęleste bonum, adultamq; partam Imperio Pacem, pacata mors Pacificum Imperatorem Cælo transmisit.

1492. Kal. Sept. Primus Aus. Cæs. inauguratо in Regẽ Romanorum filio obit.

Ante Obitum MAXIMILIANVM filium, quem propagandæ in immensum familiæ Gloriæ, ac Potentiæ ter maximum Cælum destinarat, rite procurato Cæsaris nomine Regem Romanorum inauguratum vidit, eiq; plures annos tamquam Imperij Collegę moderatrices rerum habenas concredidit, Imperatorem partitus. Primus inter Austriades Cæsares, successorem non sperauit tantùm, sed spectauit, eo nomine charus omnibus,

bus, & felix, quòd prospexit, ne decedentem Imperatorem desiderarent, quem non amittebant, sed mutabant, Posteritatem Augustam, Nepotes, Minoresq; consecrans in Filio, eodemq; beneficio Rempublicam beans,& suos. Euicit Pacificus Cæsar quod armatis negatum fuerat; sæpius enim.

Peragit tranquilla potestas Claud.
Quod violenta nequit, moderataq; fortius vrget
Imperiosa quies.

Liquit fortunatissimus terras FRIDERICVS non secus, ac Phosphorus Cælum, non nisi Sole in imperio lucis relicto, decedens. Ea egit demum Pacificus Cæsar,quæ Roma in Augusto partim suspexit, partim etiã optare potuisset, ad illius regnatores annos prope accedens, Iani Templum Germaniæ bellatrici claudens, rerum Dominus, Patriæ Pater, eidẽ nec amore populorum, nec literarum præstantiã, nec dignitate formæ, nec studio pacis absimilis; vndè a plerisq; dictus est Austriadum Augustus, iure FRIDERICVS. In hoc superauit Augustum, quòd non coronata illa propudia Imperio dedit, Tiberios, Caios, Claudios Nerones,primos illos Iuliæ Gentis nequissimos Cæsarum, Parcis breui deinde cædentibus Orbi terrarum exitialem progeniem, sed pijssimam, & potentissimam Cæsarum, & Monarcharum seriem, in æuum propagauit, & prima tantæ felicitatis Auspicia, in MAXIMILIANO iam Romanorum Rege delibauit. Pugnauit tantùm vt pacem pareret circumstrepentibus vndique armis, vti pariunt Cælo genitore conchæ inter tonantia fulmina vniones. Hunc Pacis amorem, hæreditarium suis transcripsit, dignum Augustis. Imperante FRIDERICO Christophorus Columbus de quo verius illud præcini poterat.

Friderico imperante nouus Orbis inuentus a Columbo, & Vespuccio.

Alter erit tum Typhis, & altera, quæ vehat argo. *Virg Ecl. 4.*
Delectos Heroas, erunt etiam altera bella.

Post Anglicanæ, & Lusitanæ Aulæ repulsas consilio planè gigantæo ausus est non montes montibus tantùm, & Pelion Ossæ, sed Americam Europæ, & Orbem Orbi iungere, Americo deinde Vespuccio Columbi, siue volatum siue augurium felicissimum sequente. Hos Argonautas Hispano si non Colchico aureo vellere dignos, quod Maximilianus magnorum, *pretium non vile laborum*, ac purpuratæ industriæ, Hæres Burgundici Regni in Austriacam Domum tunc transtulerat, supra gloriosam Græciam Italia in suis theatris decantet. Acroceraunia maiora,& Cyclades, latentes in Oceano mundos non montes, periculosiores stantes scopulos, quàm concursantes, superantes, amico sidere,non Castoris, & Pollucis, sed Ferdinandi & Isabellæ Catholicorum Regum, quorum solio,& virtutũ miraculis MARIA ANNA Potentissima Hispaniarum Regina succedis, heroicam metam attigerunt. Ita nouus mundus tibi REGINARVM MAXIMA, atque Hispanis victoribus Monarchis subigebatur, dum Pax Austriaca, ad Septentrionem Imperatrix florebat. Cedite Bacchi, & Hercules intra Abilam, & Calpem Mundi triumphatores: Vos vero quibus nascitur nouus Orbis, nasciturí Orbi Terrarum magni MONARCHÆ Austriaci, CAROLI, & PHILIPPI. *Claud. de cons. Hon.*

Herculeos fines, Bacchi transcurrite metas.
Vestri iuris erit, quidquid complectitur axis. FRI-

FRIDERICVS IV. PACIFICVS

Salutatio.

Salue FRIDERICE pacifice Imperator Auguste
Orbis salutator, tibi salntem præcatur,
Quem pace Imperatrice verus Augustus
Saluere iussisti, cum pacasti.
Hic pacis titulus
Pro maximo tibi elogio sit.
Quem Imperàtorem mortalem non extollat
Ipse Dei Titulus, cùm imperaret in terris.
Qui ex Deo exercituum inermis Infans
Adorari voluit etiam inter cælestem exercitũ, Princeps Pacis.
Tu primus inter Cæsares Austriacos Bellatores, Augustus
Dum Iani bifrontis Templum tibi clausisti,
Fortunæ Delubrum tuis reserasti, & Capitolium triumphorũ.
Illud mirum quod nobile monstrum prodis
Ex ERNESTO ferreo Patre, Pacifica Proles,
Sine fabula, ex Ioue fulminatore
Caduceator Mercurius.
Simili puerperio Pax cælo, ac terris nascitur.
Iris inter ferruginea pugnantia nubila
E pugna serenitatem, Cæli pacem, parit.
Acclamante Senatu, populoq; Romano
FRIDERICO PACIFICO A DEO CORONATO
VICTORIA, ET VITA
Conciliata est deinde pacifici titulo, æterna auctoritas.
Alijs Bellatoribus
Huic vni Cæsari Pacifico Roma triumphum detulit.
Romanus Orbis reueritus Friderici Maiestatem,
Se statim composuit.
Austriaca Aquila pedibus fulminatrix

Rostro

Roſtro Oleas magnanimo prætendit.
Leo Hauſpurgicus eſt in vtrumq; paratus:
Proſternit rebellem, amplectitur ſupplicem Pradam.
Amabilem hunc FRIDERICE titulum pacis,
Pacifici Cycni ad Cælum euehent
Penna, & cantu.
Interim hîc iterum Orbis terrarum
Quam tu dediſti, eandem tibi ſalutem reddit.

A FRIDERICO IV. PACIFICO AD MAXIMILIANVM I.

FRIDERICI pacifici qui ERNESTO Patri ſucceſſit veluti Bellatori Romulo placidus Numa, docuitq; vtramq; Palladem Laureatam regnare armatam, atq; inermem, & ciuiles curas habere Heroes ſuos, incruentis victorijs magnos, ac triumphis innocentibus, quinq; liberi recenſentur, ex ELEONORA Luſitana Regij Thalami Socia.

CHRISTOPHORVS I.
IOANNES II.
HELENA I.
CVNIGVNDIS I.
MAXIMILIANVS I.

CHRISTOPHORVS, & IOANNES, è cunis ad Superos tranſlati in infantia extincti ſunt. HELENA magnæ formæ ſed pudicitiæ maioris, nuptijs prærepta eſt. CVNIGVNDIS Alberto Sapienti Baioariæ Duci nupta, Inuictiſſimi, & victorioſiſſimi Maximiliani nunc regnantis, ſeptemuiri Abauia, Religioſiſſimum Boicorum Sereniſſimorum Ducum ſtemma propagauit. MAXIMILIANVS potentiſſimus, & feliciſſimus Auſtriadum, ante ea tempora Heroum inter Haus purgicæ familiæ Cæſares ſextus, paternum ſolium adijt. Eo imperante Auſtria extra Germaniæ limites, cæpit Orbi Terrarum Imperare.

IM-



Fed. Agr[illegible] sculpsit

IMPERATOR CÆSAR MAXIMILIANVS I. PIVS, FELIX, AVGVSTVS, REX GERMANIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, ARCHIDVX AVSTRIÆ. PRINCEPS BELGARVM, ET BVRGVNDIONVM DVX STIR., CAR., CARNIOL., SVEVIÆ., LANDG. ALS. COMES HAVSPVRGI TYROLIS &c.

Regia flumina quò longius discurrunt, eò & excurrunt latius amplificatâ aquarum veluti maiestate ex popularibus minorum fluuiorum tributis: ita grandescit tibi accedens Austriæ tuæ Imperatricis Gentis felicitas, quam MARIA ANNA è maximorum Cæsarum sanguine sata Dotalem tecum auehis, maiorem etiam allatura, cùm fueris Regum Mater. Quis enim fulgente aureâ stellarum familiâ, purpurascente inter sua radiorum rosaria Aurorâ, ex magnis maiora non expectet lucis incrementa, nimirum ex illustri Auroræ puerperio serenissimum Infantem Solem? MAXIMILIANVS hic tuus è nominis sui mensurâ maximus, eâdem magnitudine rerum gestarum se se explicans, par orbi terrarum nomen impleuit, futurus etiam sine MAXIMILIANI nomine à rebus gestis maximus. Adeò præscia Numinis prouidentia nomina aliqua fingit, atque erudit, vt diuinitatis arcana, ex solâ nominum diuinatione pandantur. Prisci Cæsaris Maximiani nomen visus est sibi vsurpare, vt eodem cum ipso cognomento, tot hostium victor, subactorque regnorum noster Austriacus potiori iure diceretur Herculeus, cum præsertim catenulis aureis ex ore fluentibus, vt de suo Hercule fabulati sunt Galli, incredibili dicendi suauitate, summos amores sibi conciliaret omnium populorum, quos catenatos veluti trahebat in triumphum post currum eloquentiæ victricis.

1459. Ex Patre FRIDERICO Pacifico ortus, & Auo ERNESTO Ferreo
Kal. Ap. vtrunque miscens, indolem hausit totam ad belli decora factam, & pacis
ornamenta. Et sanè dixisses tres regias charites omnium numerorum
bellicam fortudinem, omnium artium ciuilem sapientiam, omnium vir-
tutum augustam pietatem, ad Austriaci MAXIMILIANI granditatem
ita coniurasse, vt non solum Cæsarem crearent, sed & inter Cæsares Ma-
ximum. Hanc sortitus est genituram felicissimam è gentili suo Cælo,
in quo nullum non fortunatissimum sidus elucet.

Insigni miraculo ex cultu Augustissima Eucharistia seruatur. Prima ætas gemino prodigio è Cœlo consecratur, summi, & MAXI-
MILIANI pietate, & Numinis prouidentiâ, vnde stetit in vnico Stirpis
Augustæ traduce, in quo tota spes posteritatis germinabat, Austriaca Pro-
pago, seruatumque est primigeneâ Eucharistici Epuli religione, quâ fun-
datum Austriacum Imperium, eâdem vi seruante ferè semper sicuti alia
omnia, ita etiam regia germina, quæ feliciter produxit. Cum enim è
confragosæ rupis supercilio, quò MAXIMILIANVM adhuc ephebum
procul à palatinis Proceribus, qui lateri adhærebant, alijsque asseclis ho-
1472. norarijs,& circumpedes comitantibus, æstrum venationis per accliuia, &
decliuia ænipontanorum montium rapuerat, penderet, inaccesso pror-
sus, & imperuio, nec pedem inde retrahere posset, vlliusue ope iuuari,
hiante infra sexcentorum pedum crepidine, ad diuinum prorsus consi-
lium confugit. Acciri iubet (audiri enim vox loquentis poterat) sacrum
13. Ap. Mystam, qui sublime Eucharisticum nectar, delibandum saltem oculis,
exhiberet, sperans salutari illo viatico etiam tantùm adorato, tutum sibi
fore, aut ascensum ad cœlum, aut descensum in terras, eò paratus ire, quò
rerum Dominus, & Cœli, terræque Imperator Dei nutus inclinaret. Ita
tota Austriacæ Domus immensa moles miserando spectaculo, inter Cælum,
terramque librata, è cubitali montis vertice ruitura nutabat; si tamen nu-
tare poterat Domus, quæ licet totius fere terrarum orbis circumferentiâ
coronata, centrum habet in Cælo, atque ipso firmamento firmatur.
Impositus montibus innocens Gigas, passis manibus piè Celum expugnat.
Euocanti itaque è Cœlo auxilium Regio Impuberi Deus liberalissimè
annuit, & addito prodigio cumulatissimum indulsit. Accurrere è cælesti
Aulâ iubetur Angelus sospitator (illum fuisse piè aliqui autumant, quem
eius custodiæ a primo vitę limine in hac peregrinatione terrenâ Deus de-
stinarat, omnium horarum comitem) sub montani pastoris personâ ab-
scondens nobilem Cœli formam, qui liberato Augusto Principe statim se
se omnium oculis eripuit, ac sibi se reddidit, qualis spectatur à solis supe-
ris, rusticanum hominem exuens, coloresque nostrates. Ephebi regij
pietas adeò feliciter causam suam Cælo, è quo, cum proximus illi esset, pu-
riorem spiritum hauriebat, probauit, vt supra vnum Fabium maximum
maior, vnicus tot Heroum Hæres, tot Cæsarum, & Regum germen,&
stirps ad columen Austriacæ Domus, Germanici Imperij, Hispanæ Mo-
narchiæ, ac fere dixerim Orbis terrarum seruari mereretur. Nullas sentit
decumanas vndas: ex omni naufragio fides enatat. Nec difficile fidei
fuit, operosumque turbinatum montis supercilium exęquare, cui vis in-
dita è Cœlo est plusquam gigantea ad montes transferendos. Ita vno

ferculo

ferculo tot a Auſtriaca Familia moribunda ſeruatur ad vitam, & mortis antidoto ad immortalitatem initiata, eo, quo condita, propagatur, firmaturque tutelari Deo in Euchariſtico Solio æternarum gratiarum. Hem quanto miraculo teſtatum videmus Euchariſtiam Auguſtiſſimam Palladium eſſe Auſtriacæ Domus, quæ in extremis rerum articulis ad thaumaturgum Cœli Panem accurrens, toties prodigia patrauit ingentia! Scit iam cui aſtro gratias debeat ſiue naſcatur, ſiue ſeruetur Auſtriaca Familia. Nec mirum inde poſteros Herôas CAROLVM, PHILIPPOS, & FERDINANDOS, & Heroinas, MARIAM, ELEONORAM, omneſque fere Auſtriades, raptos fuiſſe non actos tantū ad Euchariſtici Epuli venerationem inuſitato ardore, eo nomine Cœlo, terriſque ſpectabiles, & maximos. O grandem, robuſtamque in Regio Impubere fidem! O palmaria tyrocinia triumphalis Auſtriacę Pietatis? Poſteri creditis? eſt ne factum in tota antiquitate religioſius? ſed credite res ita geſta eſt. Adhuc prodigij locus in celſiſſimo prope Ænipontum monte, liberatâ periculis viâ, ſigno Cruciarij Chriſti è cruce pendentis inſignis obſidem Auſtriacæ Pietatis, ac teſtem prodigij memoriam conſecrat, & illhac prætereuntiū admirationem trahit, pronocatque venerationem. Non alius erigendus erat, qui ſeruaret tanti Miraculi Euchariſtici granditatem, tranſmitteretque in æuum nobilem famam Obeliſcus, & Coloſſus, quàm crux Chriſto Patibulato ſignata. Stabit ruinoſum æripontanum hoc tanti triumphi capitolium, æternis cum illo monte radicibus abyſſum premens, Cœloque ſublime, & ſolium Auſtriacæ Potentiæ, è quo adhuc imperante MAXIMILIANO in CAROLO nepote per omnes mundi partes Europā, Aſiam, Africam, Americam regnauit, ſuſtentabit. Initiatus magno prodigio MAXIMILIANVS impubes ad omnem felicitatem cœpit adoleſcere, & ad omnem virtutum apicem conuolare, religioſiori ad Regnum inauguratione ex adoratione Euchariſtici Solis, quam olim Perſarum Monarchæ ſolis noſtratis aſpectu.

Humanioribus literis inſigniter excultus adoleſcens floruit.

Primæ poſt laureatam pietatem laureæ, quaſi de paterno Pacifici Friderici ſtipite, ſurculi nobiles, a pacatis artibus fuere, Eloquentiâ, & Hiſtoriâ, quibus ſuam etiam intexuere de laureto apollinari parnaſſiam Muſæ. Ingenitam dicendi ſuadam, quâ plurimum valebat, vt cum maieſtate publicaret, & Imperatricem daret, omnium populorum, quibus imperitabat linguâ erudijt, vnde mirum in modum eidem conciliati ſunt, æſtimantes ex indigena ſermone & amantes aliquid ſuum in Principe. Hæc auita laurus germinauit deinde in magnis nepote CAROLO V. & pronepote MAXIMILIANO II. propagine nunquam ſterili, in non degeneres ramos. Luſitant in Auſtriadum fere omnium labris ſyrenulæ, ſed Auguſtæ, & archipyraticam exercent innocentem populorum. Vtranque Palladem exhibuit ſagatam, ac trabeatam, Præſidem ſcientiarum, Arbitramque bellorum, vnde non mirum, quòd deinde cum Iulio Cæſare veterem militiā, & cū Auguſto priſcas ſcientias ad priſtinū ſplendoré reuocarit, & eâdem dextera triumphali, quâ arces euertebat, bellicas, ciuileſque artes erigeret. Sed vtrunque Cæſarem melius expreſſit, cùm ſuarum rerum geſtarum commentaria, vtraque & ſolutâ & illigata numeris oratione,

tione, historicè poeticèque edidit, simul scribenda faciens, & scribens facienda, sæculumq; aureum, & austrium literarum recudens. Hinc Apollo dictus est in Aulâ: Mars in campo, oris splendore coruscus, & ardore; sed Mars innocens inter Musas illarum patronus, & Apollo gemino arcu fila mouens, ac tela. Scriptili papyro potiori iure, quam Ægiptij Reges coronandus erat, cui & pugnanti triumphale IO, & scribenti, ac dicenti gloriosum σοφῶς acclamari posset. Nunquam dignius, quam in MAXIMILIANO Austriaco.

Cl. de M. cons. *Maiestas meminit se se Romana loquutam.*

Sed bellicarum laurearum densior etiam silua est, ijsque fere obruitur historiographus hic exilis calamus.

Eâ ætate bella gessit exercituum ductor, & suo marte, atque auspicijs administrauit, quâ alij nec rude donantur militis, Imperator, quod olim
1477. et. 17. de magno Pompeio grandi etiam præconio prædicatum est, ante militem. Illam siquidem à Patre Pacifico pacem tantū didicerat, quam triumphi
1478. pariunt. Adolescens adhuc ex ipsis cum MARIA Burgunda nuptijs Carolo Audace Socero ad Nancéum cæso, Gandaui in Vrbe Flandriæ facile Principe, quæ supra græcanicas Thebas Herculis exortu, & incunabulis nobiles, CAROLI V. Austriaci Cæsaris & summi Herôis natalibus gloriari potest, ad componendum, firmandumq; Belgicæ Reipublicæ statum non parum Ludouici XI. Galliarum Regis potentiâ conuulsum, cepit animum adijcere, supra illius ætatis studia molliora, grandium consiliorum, & principalium curarum patientem. Belgicus Leo à MAXIMILIANO primo domitus, secundo MAXIMILIANO imperante, euentilatis, excussisq; apertâ perduellione iubis, iugum Austriacum franget. Hinc à Patre Augusto in sortem imperij adoptatus in grauissimo Orbis terræ concilio a Germanis Proceribus de Imperio arbitrantibus, meruit Francofurti adoratum a tot populis Regis Romanorum & Aquisgrani Cæsaris nomen. Illud autem accidit in ipsâ inauguratione auspicatissimum, quòd MAXIMILIANO ea imposita fuit corona, quæ olim Occidentalis Imperij fundatori Carolo, & pot entiâ, & sanctitate Magno, auspicijs tum ad ipsum MAXIMILIANVM, tum ad CAROLVM nepotem, tum ad magnam Germanorum, & Hispanorum Austriadum posteritatem propagatis, Austriâ Gente iam, & Herôum numero, & potentiæ magnitudine, & æuo felicitatis COROLINGHAM longe superante. Nullum aliud præter MAXIMILIANI Austriaci caput Caroli magni coronam implere potuisset.

Belgica reipublica administrationi admouetur.

Initiatur ad imperium, & inauguratur imposita Caroli magni corona.

Imperator, initiato victoriâ Turcicâ in Hūgariâ Principatu, veluti è seminario triumphorum tot bellis deinde feliciter confectis, maximum suum nomen laureatum extulit, vt nullus ante ipsum Imperatricis Familiæ tot fuerit laureis coronatus, geminatâ felicitante Regna germinantibus. Visus est feriato dudum Pacifici Patris gladio vbique fulminare, nunquam ferè non victor vbi pugnare licuit, victis populis, victorias singulis annis, quasi annuum tributum pensitantibus. Populorum de quibus MAXIMILIANVS triumphauit ferè populum inuenio, Gallos, Eburones, Belgas, Sicambros, Batauos, Morinos, Hungaros, Bohemos, Venetos, Heluetios,

tios, Turcas. Ea verò in eius triumphalibus fastis leguntur, quæ famam in pluribus fatigassent, circumlatis supra Austriades Aquilas victrices perpetuo volatu per Orbem Orthodoxum victorijs ingentibus. In Belgio Atrebatum Artesiæ caput expugnatur stratagemate celeberrimo custodijs deceptis: Cameracum Vrbs Imperialis in potestatem redigitur, & simul recipitur magnâ ex parte Hannonia, Gallobelgica Prouincia nobilissima. In Galliâ ad Guinecham Picardiæ Oppidum ingens Gallorũ exercitus fere internecione deletur, victoribus Gallis in prædam migrantibus, & in victoriâ propriâ victis, dum eâ præcoci intempestiuè abutuntur. In Germaniâ Philippus Palatinus Septemuir Rhenanæ Prouinciæ Regulus, & Vangionum Princeps supplex ad Imperia Cæsaris compellitur: Bohemi non procul a Ratisbonensi Vrbe, se, suaq; perpetuâ castrorum munitione tuentes, franguntur. Hungaria magna ex parte victoriosissimis prælijs recuperatur, & ingens Turcarum colluuies scythicis etiam copijs, & formidandis Romano Imperio Samothracum, Samogitiorum, Getarum, Gelonorumque populorum nominibus aucta, Carnioliam, Stiriam, Carinthiam inundans, easque igni ac ferro depopulans reprimitur, ac fugatur. In Belgio iterum Carolus Egmundanus Gheldriæ Dux nouis rebus studens, in ordinem redactus, abstinere iubetur ditione Gheldriensi, ac titulo. In Germaniâ rursus grassantes fœdè per eam Prædones non vno loco, nec vno prælio funduntur, cæduntur, & ipsis suis sceleribus spoliantur, flagitiorum pretio in triumphales Cæsaris manubias migrante. In Italiâ demũ Veneti tribus bellis atteruntur: Mediolanũ è Gallorum manibus eripitur, ac Sfortiadę Duci restituitur. Ita maximis victorijs, triumphali veluti earum curru inuectus fere totam MAXIMILIANVS peragrauit Europam, Orbemque terrarum nobili famâ sui nominis impleuit.

Celebriores Maximiliani Cæs. Victoria.

1490.

Omnes in eo, Herôem cum Imperatore miscente, herôicos numeros, Cęsareosq; duo proximè superiora sæcula suspexerunt, beatissimo quodã omnium bonarum artium, virtutumque temperamento; vt dubium reliquerit sapientior ne esset, an fortior, an melior, primas ne daret bonis artibus, quas in delicijs habebat, an virtutibus armatis, pacatisque, castrensibus, & vrbanis, quæ ipsi in amoribus erant. Vulgatissimum est illud de Sylla Elogium, licet Cæsarianum, ac minime vulgare, ipsius dicentis nobilitate, supra argumenti laudem, alio fere dignum elogio, Syllam plures in se Marios, cum suis septenis triumphis collegisse. Ausim ego hoc prædicare in MAXIMILIANO non de Marijs, sed de Cæsaribus ipsis. In Romanis annalibus magnificè celebratur in Caio Iulio Cęsare felicitas, liberalitas in Augusto, in Traiano fortitudo, in Antonino pietas, in Tito mansuetudo, in Marco Aurelio sapientia, in Constantinis, Carolis, & Ottonibus magnitudo inusitata virtutis. Ex omnium istorum Cæsarum laureis visus est Maximilianus frondes legere, quas suæ insereret, & Martis Pullus cum Caio Iulio Cæsare, & Pater Patriæ cum Augusto, & Amor generis humani cum Tito, & Optimus cum Traiano, & Pius cum Antonino, & Sapiens, omniumque litterarum Princeps cum Aurelio, & cum Cõstantinis, Carolis, atque Ottonibus vbique Magnus, nisi velis etiam

Ab omniũ fere laudum titulis cõmendatur.

ma-

Felicitas. maximum ad sui mensuram nominis. Eá bellicæ felicitatis excellentiâ floruit, vt nunquam arma ferè posuerit, nisi victor, post domitos hostes de bellis etiam ipsis debellatis triumphator, tantumque terrorem hostibus incusserit, ipsá armorum denuntiatione, vt cum iussu MAXIMILIANI Cæsaris in Belgio bellica tympana ad legendum nouum militem personarent, ferant dixisse Ludouicum XI., bellicosissimum alioquin Regem ad illos bellorum præcones, & fecialem sonum, totam Galliam contremiscere. *Magnanimitas.* Eá magnanimitatis laude commendatur, vt vbique prouocator fortunę fuerit, contemptor, ac victor, illi etiam tanquam imaginariæ Deę per deridiculum augusto supercilio, quo imperium Austriacum sustentabat auditus sæpius insultare, nimirum nihil timebat sibi a fortunâ infideli, quam sperabat vinci posse etiam rebellantem. Et certe fortuna, si eam cõtemnas, vectigalis seruiet; si adores dominabitur tyranna. Aut tenetur, aut tenet, nisi despicias, suspicies, transuersumque te aget ventosa, ac leuis, nisi generoso spiritu diffles, ipso contemptu victore superandam. *Liberalitas.* Eâ liberalitatis famá celebratur, vt sæpe eadem manus quæ triumphatrix ærariũ impleuerat, munifica exhauriret, & magnæ victorię aliquando abortirent ex defectu militarium stipendiorum, conceptique triumphi eliderentur in partu. Nefas ducebat Imperatorem populis dominari, & auro seruire, cum hoc sit etiam plebeium in Regibus. Sciebat non minorem famam captari a manu âuro, quam ferro armatâ, cum hæc hostes, illa amicos, & omnes superet. In Viennensi Principum Orthodoxorum celebri congressu tres Reges, Vladislâum Hungarię, Ludouicum Bohemię, & Sigismundum Polonię augustis impensis magnificentissimè exceptos diu apud se habuit, dignus Cęsar se ipso Cęsare opulentiore. Merebatur spolijs Asię, Indico auro, & Darianis thesauris ditari rediuiua, & gemella prorsus in maximo nostro Austriaco, tum ex armatis, tum ex pacatis titulis magni Alexandri, beneficijs non minus victoribus, quàm prelijs, triumphatrix Orbis terrarum manus. Plura tamen excepit domi regna, populosque, quàm Reges in Hispanâ Monarchiâ ex nuptijs PHILIPPI filij cũ IOANNA FERDINANDI, & ISABELLÆ Catholicorum Regum filiâ in Austriacam Domum inuectâ, tot regnis, populisq; coronatâ. *Pietas.* Ad eum demum apicem pietatis peruenit, vt hac omnia veluti naturę, ac fortunę ornamenta consecrarit, Cęloque dicarit. Auspicatus, cum moribundos fere oculos rebus humanis clausisset, ab alio sole, nimirum Eucharistico, Auroram primorum annorum, eum cursum vitę tenuit, qui tantam lucem ferret, & non degenerem diem ab aurorâ illustri ex tantę prodigio pietatis. Eidem primigeneę pietati custodiendæ addidit comitem virgineum pudorem, quo duce Imperator (quod mirũ videri iure possit) ferè semper armorum studio exercitus, nullam vnquam passus est spectari a quoquam nudam corporis partem, pulchro rubore decorè perfusus, si quid simile accidisset inuito. Hęc purpura venarabilior in Imperatoribus, quę non sanie muricis fędatur, sed tingitur colore virtutis. Eadem pietas artes omnes, ac scientias magistras erudiendę illius magnanimę indoli, admouit. Harũ scita, & placita, & alia omnia fidissimâ memoriâ & nunquã fallentẽ dicturum, seruabat, vnde nemo illi semel notus, aliâs deinde no-

uus

uus fuit. Pręfecit tandem illi regendę moderatricem Religionem, quâ solá Imperatrice Imperia stant; & felicitatem, famam, gloriam, victorias alites Cœli Diuas, nimirum prouidentiá numinis e Cœlo labentia terrarũ fugitiua, & volucria bona apud se sistunt. Acerrimus hereseos hostis in Augustanis Comitijs paucis ante obitũ diebus per Legatum Pontificium Thomam Caietanum ingenio, & purpurâ Principem sui sęculi Eminentissimum, Summum Pontificem exorauit vt Germanię laboranti ex lutherana hæresi serpente tunc malo virulento contactu, ac fere moribundæ opẽ ferret, se omnia imperata etiam cum imperij ipsius impẽdio, vti par erat, facturum. *Religio.*

Hac nobili clausulá MAXIMILIANVS I. Cęsar Austriacus, dum laureatis litteris à Carolo V. nepote iam Hispaniarum Monarchâ vocabatur lętitię communione in partem Maurici Triumphi, in sinu Austriadum Victoriarum, in primo flore felicitatis, ac potentię vitam finiuit sexagenarius, magná ętatis parte imperio, maiori victorijs, ac triumphis, totâ Cœlo attributâ, ac nominis immortalitati. Imperante MAXIMILIANO Romano Orbi, Austria felicissimis coniugijs, fatalem fere dixerim faustitatem in Austriacam Familiam ferentibus, ad omnem Cœli, terręq; cardinem explicata est. Accesserunt primùm Austriæ, auitisque Regnis, & Imperio Germanico ad Septentrionem Belgicę Prouincię dotales in nuptijs MARIÆ Burgundæ cum ipso Cęsare, & eodem iure connubiali Burgundia ad Occidentem; tum partim ad Orientem, partim ad Septentrionem ius successionis ad Regna Bohemiæ, & Hungarię cum Vladislao Rege stabilitum, deinde Hispana Monarchia & America ad Occidentem & Austrum ex fortunatissimo PHILIPPI Pulchri coniugio cum IOANNA maximorum Regnorum Hęrede, cuius ipse MAXIMILIANVS fortunę faber fuerat, additis Hierosolymorum, vtriusque Sicilię & Sardinię Regnis atque Insubriâ ad Orientem, & Austrum. Tandem CAROLO nepoti nubente Isabellâ Lusitanâ, prima Lusitanici regni, Indicorum Marium, atque orę maritimę, & Insularum Orientis magna affulsere de Cœlo auspicia. Vnde MAXIMILIANVS, pari ferè cum RVDOLPHO I. magno gloriâ, si minus Conditor Austriaci Imperij, saltem Conseruator, Stator, & Amplificator dici meruit, vbiq; maximus. Nomen illi semper pro encomio erit, gerenda simul prędixit, gesta enarrauit, magnificè in omni apice sonans, docensq; nihil in MAXIMILIANO non maximum esse. Hic totus tuus est MARIA ANNA potentissima Regnatrix, & ideò etiam maximus quia Tuos, siue Paternos, siue Maternos splendores respicias, siue Maritales Monarchę Coniugis sapientiâ, potentiâ, pietate ter maximi, CAROLO quoque V. & FERDINANDO I. ex equo in imperio succedentibus, dignus, qui nobilissimum inter Tuos locum obtineat. Imò hoc etiam nomine nunquam non dicetur maximus, quod auspicatissimum tuum coniugium beauit, ac Tibi, Tuorumque vitâ simul, & immortalitate donandorum Regiorum non interruptâ vnquam serie Infantium.

Maximil. obitus.

1519. 12. Ian. 33.

Laudes longe transgressus auitas
Subdidit Oceanum sceptris, & margine Cœli
Clausit opes.

Cl. de 4. Hon. cons.

N MA-

MAXIMILIANVS I.

Epitaphium.

Hanc molem manibus Austriadum Heroum felicissimi
In mausoleum Cælo extulit
Magistra manu
Noui Phidiæ artifex cælum.
Exanimes hæ statuæ
Prætoriani veluti fidi milites saxei
Imperatoris lateri semper adhærent.
Ipsa triumphalia trophæa lapidea sunt:
Et iure, quia æternarum victoriarum simulacra.
Stant gemino titulo victura,
Vincent æuum, quod merentur, & viuent.
Ab his omnibus Mutus Cæsar, silentio laudatur:
Omnes laudes in vnum titulum sepulchri migrarunt.
Turbinatus in morem pyramidis acuminatur tumulus
Et suas, si a sole gloriæ, illustretur,
Consumit vmbras.
Ne tamen putes sepulchralem hanc molem
Mortis carcerem esse:
Meta est felicitatis.
MAXIMILIANVS FRIDERICI Pacifici Augusti filius
Primus Austriadum viuente Patre Imperator,
PHILIPPI I. Pulchri Hispaniarum Monarchæ Pater,
CAROLI V. & FERDINANDI I.
Magnorum Cæsarum Auus,
Impleta sui nominis magnitudine maximus
Gallicis, Belgicis, Venetis, Insubricis
Bohemicis, Heluetijs, Pannonicis, Turcicis victorijs,
AEque victor Heros, & inuictus,
Burgundiæ Prouinciæ, & Regno Belgico

Austriæ

Austriæ Imperatrici additis,
Explicata ad omnes Orbis partes
In Hispana Monarchia Austria regnatrice,
Cùm non haberet plus vltra felicitatis in terris, quò tenderet
Hic stetit,
Unde Cælum intraret,
A Cælo vnico tantum hoc lapide distans.

SYNOPSIS GENEALOGICA

A MAXIMILIANO I.

AD CAROLVM V. MAXIMVM.

PRimæ MAXIMILIANI Cæsaris nuptiæ cum MARIA Burgunda fuere Caroli Audacis filia non degeneris animi, tibi cognomine MARIA ANNA & felicissimi tui coniugij Auspice. Obijt fortissima Amazon digna Carolo Patre, MAXIMILIANO coniuge, PHILIPPO filio, CAROLO, & FERDINANDO nepotibus, totaque quam ipsa dedit Austriadum Heroica posteritate ex amore pudicitiæ, cùm nunquam adduci potuisset, vt vulnus, quod ex equi casu inter venandum contraxerat, medicis oculis videri, nedum tractari manibus pateretur. Nullius fortitudinis laurea in Austriaca Domo, altas radices non habet, si tamen tellus lauros nutrit, quibus hæc cælestia facta, ferto citra Ariadnæam fabulam stellanti digna, coronet. Secundas inijt cum BLANCA MARIA Galeatij Mariæ Sfortiæ Ducis Mediolanensis filia, quæ quadringenta aureorum nummum millia dotis nomine tulit, maiori tamen formæ incredibilis pretio, & virtutum omnium muliebri mundo dotata. Anna deinde Ioannis vltimi Britanniæ citerioris Regis filia vnica, desponsa tantum fuit MAXIMILIANO, sed a Carolo VIII. Galliarum Rege Cæsareis nuptijs prærepta, repudiata prius MARGARITA ipsius Cæsaris filia. A MARIA pudicissima, & fortissima Heroinâ Austriacis fastis hæc tria magna nomina data sunt.

PHILIPPVS I. PVLCHER.
FRANCISCVS PRIMVS.
MARGARITA IV.

Franciscum I. Parentum simul amorem, & dolorem, a vitæ limine, quod vix salutarat, quadrimestrem proximus tumulus excepit, neque enim sæpe multùm vitæ primus lapis ab vltimo distat. MARGARITA primum Carolo Delphino, Ludouici XI. Galliarum Regis filio desponsa, tum Ioanni FERDINANDI Catholici Regis filio nupta, eodem nuptiali anno coniugij, & vitæ vinculis soluto, demum Philiberto II. Sabaudiæ Duci, quem inter suos fortissimos Heroes numerat serenissima Domus Philippi II. filium, Regnantis nunc Principis Abpatruum a Beroldo Saxone vigesimum sextum. Tandem vidua, Belgarum vsque ad mortem Gubernatrix summa probitatis, & prudentiæ laude floruit. PHILIPPVS I. communi cum FRIDERICO III. Austriaco Cæsare cognomento a formæ dignitate Pulcher, pari cum Tito imperatore titulo a pulchriori mansuetudinis, aliarumque

virtutum forma Amor generis humani, & Delicium Orbis Terrarum, primus magno Philippęo nomini, quod in ipso nascebatur, Augustæ genti & Austriæ Imperatrici in Hispana Monarchia subdidit Orbem terrarum. Austriadum pulcherrimum pulchra Cœlum sex liberorum prole beauit ex IOANNA FERDINANDI & ISABELLÆ Catholicorum Regum filia (vtroque Orbe magnum titulum deferente) & vnica Hispanæ Monarchiæ hærede. Eorum nomina hoc ordine adscripta Genealogicis Austriacæ familiæ fastis leguntur.

CAROLVS V. Maximus Cæsar,
& Hispaniarum Monarcha.
FERDINANDVS I. Cæsar.
ELEONORA.
ISABELLA VIII. siue ELISABETHA.
MARIA.
CATHARINA posthuma.

Sed quia nihil est ex omniparte beatum, & hæc est pœna mortalibus imposita, vt omnis pulcritudo breui contabescat, in flore ipso regnatricis vitæ, PHILIPPVS Pulcher defloruit in Cœlum transcriptus, vbi ipsum felicitatis Regnum sub florido Paradisi nomine vernat. CAROLVS, ac FERDINANDVS Magni nominis Cæsares, salutaresque non Germaniæ tantum, & Hispaniæ sed Orbi Orthodoxo Dioscori, quorum secundus primo in Imperio successit, adhuc superstites in maximis FERDINANDIS, & PHILIPPIS regnant.

Vnanimi Fratres quorum mare, terraq; fatis
Debentur.

Addita est Castori, & Polluci Austriaci Cœli non vna, sed quadruplex Helena, è Pulchro, & Pio Parente, pudicissimæ formæ. ELEONORA Portugalliæ, & Franciæ Regina, primum Emmanueli Lusitano, tum Francisco Gallo Regi nupsit. ISABELLA Regina Daniæ Christierni II. Dani Regis vxor, fidissima comes exilij maritalis, illustre fidei coniugalis exemplum publicauit. MARIA Ludouico Hungariæ, & Bohemiæ Regi ex inclyta Iagellonica stirpe matrimonio iuncta, eo mortuo Belgicam Rempublicam cum summa laude administrauit. CATHARINA posthuma prius desponsa Friderico III. Saxoni Septemuiro, tum zelo Religionis Orthodoxæ, quæ principalis amor, & cura Austriadum Heroinarum est, abrupta omni coniugij spe Ioanni III. Lusitaniæ Regi in matrimonium est elocata. Sed iam excipe MARIA ANNA CAROLVM tuum gloriosissimum de quo ex ipsis PHILIPPI-Pulchri, & IOANNÆ Hispanæ nuptijs occini potest paucis mutatis in melius, & verius oraculum. *Virg. 1. Aenei.*

Carolus è pulchra nascetur origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris.



Fed. Agnelli sculpsit

IMPERATOR CÆSAR
CAROLVS V.
MAXIMVS
PIVS, FELIX, AVGVSTVS,
REX GERMANIÆ,
HISPANIARVM, NEAPOLIS,
SICILIÆ, SARDINIÆ, HIEROSOLYMÆ,
ARCHIDVX AVSTRIÆ,
DVX BVRGVNDIÆ, INSVBRIÆ,
PRINCEPS BELGARVM
MAGNVS MEXICANI, ET PERVANI ORBIS
MONARCHA.

EX PHILIPPO. Hiſpanorum, non Macedonum Rege nouus ſub CAROLI nomine prodit Alexander. Sed quia alios mundos, quos ſuſpirauit Macedo, ſuperauit AVSTRIACVS, noui orbis extra veterem victor, Abilam, & Calpem, quas ille, Herculeum reueritus *non plus vltra* ſuſpexit vt mundi metam, hic ipſis fabulis maior, vltra Gades HERCVLES triumphator, adſcripto nouo titulo *plus vltra* deſpexit vt carceres, nec Aſiam tantum Europæ per anguſtum Helleſpontum, ſed nouum orbem veteri per immenſum iunxit Oceanum, non magnus dicetur, ſed maximus. Eo etiam titulo ſupra magnum Maximus dicatur, quia non ſterilis fundator ruituræ ſecum Monarchiæ fuit, ſed fæcundus æternæ,

MO-

MONARCHARUM HEROUM parens, & Regnatricis ipsa sæculorum coronâ Posteritatis.

Unde maximi titulus in Carolo. Nullus Imperatorum iustius titulum possedit, nullus magnificentius, nullus diuinius, quàm Maximi titulum CAROLUS, quem non blandientis historici calamus adulator, sed summa in terris post diuinam humana vox propè dixerim è cœlo inscripsit. Ipse Summus Pontifex PAULUS III. ex Senatusconsulto Eminentissimorum Patrum post victoriam Saxonicam, è vaticanâ vicariâ Numinis cortinâ magno nomini CAROLI, Herois, in quo nihil non maximum fuerat, Maximi addidit cognomentum. Ingens unius tituli Maximi suffragium, Pontifex Maximus. Suasit verò supremo Romano Antistiti, sapientissimæque Purpuratorum Principum Curiæ, ipsa Saxonia, non nisi triginta annis a Carolo Magno Imperij Occidentis Conditore subacta, eum CAROLUM qui contractis fere prodigio felicitatis in dies annis, eamdē ferocem, atq; ipsius Cæsaris fortunæ insultantem, capto Regulo, omnibusque, quæ timeri poterant profligatis, debellauit, non magnum tantùm appellari debere, sed maximum. Patieris tamen MARIA ANNA, à qua Austriam, quam CAROLUS vexit, in Hispaniam reuehente, nouos ex PHILIPPO Monarcha CAROLOS sibi orbis terrarum auspicatur, me maximum hunc tuum CAROLUM oculis serenissimis exhibentem, quibus titulo minimè mentiente ad omnium populorum felicitatem irradias, subitario consilio, de Historico in Cosmographum migrare, & punctulis, lineolisque, ac solis subactorum regnorum, atq; debellatarum prouinciarum nominibus rerum Dominum, veteris orbis Triumphatorem, nouique Domitorem, palmari sphęra concludere. Eiusdem artis esse debet mundum explicare, & Heroem mundo parem. Non desijt esse miraculum Rhodius Colossus articulatim dissipatus in partes, ipsis reliquijs colossæis, aliorum hominum corpora superantibus, mensuramque communem nostræ mortalitatis. Maior visus est Hercules, cum illius digitum non sine spectantium risu, metiebatur thyrso satyriscus, nec æquabat. Exprimi non potest CAROLUS, nisi cum Orbe terrarum euoluatur, quem suis imperijs rexit, nomine impleuit, felicitate beauit, gloriâ illustrauit, famâ suspendit, victorijs peragrauit, triumphis pacauit, Pyrrhus in Peloponneso, in Africa Annibal, Scipio in Hispania, in Pannoniâ Traianus, Marcellus in Siciliâ, in Germaniâ Constantinus, in Italiâ Cæsar, vbique CAROLUS.

Caroli Ortus 1500. 24 Feb. E PHILIPPO, quem Delicium humani generis, & Amorem suum, orbis terrarum amasius appellauit, videretur CAROLUS bellator prodiens monstrum esse, nisi sciremus amore omnium triumphatore, nihil victoriosius inueniri. Monstrum erit CAROLUS, sed Africæ tantum nocens, Europæ non modo innocens, sed beneficum: monstrum ex omnibus virtutibus in vnū conspirantibus, & ex homine Heroem conflantibus, compactum. Ortu suo superiori sęculo, cum quo gemellus natus fuerat, auspicia dedit, & iure Austriadum felicissimus, Ascendensq; ad vitam, veluti e Cœlo clarissimus terrarum Dominator, & sui ipsius non tantùm, verum etiam sui sæculi fortunatissimus horoscopus. Quid aliud expectari poterat è Patre, qui Amor erat Orbis terrarum, quàm summæ fælicitatis

tatis

tatis ſoboles? Debuit etiam anno ſanctiſſimo Iubileo naſci, qui non ſine magnâ cęli indulgentiâ terris dabatur Religioſiſſimus Orthodoxę fidei in orbe veteri Propugnator, in nouo Propagator. Aurora primę ętatis ijs ſplẽdoribus non caruit, quæ Auſtriadum Solem totum, & virum, & ſenem radiorum penicillo pingerent coloribus ſuis illuſtrem. Hanc non teneritudo morum ab alijs ætatibus, ſed innocentia diſtinxit. Quis enim teneros dies, ne dum annos in Heroe inuenire poſſit? Imò nihil vnquam paruum, prę ter ætatem, ſine iniuriâ appellari in Maximo poteſt.

Pueritia.

Poſt prima pietatis tyrocinia ſub auſpicijs MARIÆ, MAXIMILIANI Cæſaris filiæ, Pulcherię Auſtriacę, & cum omni Auguſtarum Heroinarum magno nomine, prudentię, & probitatis laudę conferendę, Adrianus Florentius moribus, ac litteris ab Auo Imperatore MAXIMILIANO prę ficitur, Arbiter heroicæ indolis, veluti olim a magno Theodoſio Arſenius gemino Orientis, & Occidentis deinde Imperatori Arcadio, & Honorio. Felix inſtitutor, qui poterat adhuc ſpirantibus exemplis auitis maximi MAXIMILIANI, & Catholici FERDINANDI Regium Puerum non informare tantùm, ſed animare ad omnem maximam pietatem. Ità verò probauit omnibus ſuam docendi rationem Adrianus, vt poſt CAROLI inſtitutionem, nullo magiſterij gradu inter mortales dignitates inuento, cuius apicem non excederet, collocari debuerit in Vaticanâ Cathedrâ ter geminâ Tiarâ laureatus Orbis Terrarum Magiſter, non niſi oraculis è cœli cortinâ Dei nomine dicturus, quæ docturus.

Educatur ſub Adriani Florentij ſummi deinde Pontificis magiſterio.

Et certè vnde nam tanta ſcientia, profectuſq; religionis in CAROLO cum in Vormatienſi conuentu coram Principibus Septemuiris, alijſque Germaniæ Dynaſtis profeſſus eſt paſſurum ſe potius Germanici Imperij, & Hiſpanæ Monarchiæ, orbiſq; Auſtriaci, & Sui, ſuis Regnis maioris, impendium, quam vllum Orthodoxæ Fidei detrimentum, ſtatimque diſſentientibus multis Proceribus iecit primum fulmen in hæreſim, proſcripto ſacrilego tenebrione Luthero, qui nouus e Saxonia *Paracletus* fanaticam de ſuo ebrioſo ſpiritu fabricarat Eccleſiam, & de ſentinâ Tartari, Orbi inficiendo virulenta ructabat oracula? Vnde nam ſenſus ille pietatis, quo in Africâ, inſolenti ſuæ liberalitatis victoriâ, viginti millibus captiuorum hominum barbarico iugo liberatis, triumphum egit omnium nobiliſſimũ de exercitu manumiſſo, tot ciuicis cæleſtibus laureatus, quot cœli ciues, chriſtiana capita, ſeruarat. Dignus hinc fuit qui ſæculum, ꝙ ſibi condiderat recuderet aureũ, cui tanquam liberaliſſimo Monarchę Tagus cum Hiſpanâ Monarchiâ vndanti auro, cui argentei Amnes cum Americano Orbe, pleno multorum ſtadiorum alueo fluerent, imò aurei etiam, & argentei montes in Peruuiâ & Mexico, cum Motezumæ, & Acatabalipæ Peruani, ac Mexicani Imperatoris Theſauris, pendêrentur vectigales. Vnde nam ille tandem cumulus ſanctitatis, quo ſingulis diebus pluribus diuinæ Hoſtiæ ſacrificijs intererat, ſub perſonâ Imperatoris, ſed Sacerdotis affectu? Quid cum ante Saxonicam victoriam ſpectans Chriſtum patibulatum ad auctarium iudaici deicidij hæretico flagitio in imagine vulneratum, concepto ſacramento, euaginato gladio, Cæſarem patientiæ diuinæ deuouit vltorem, eo ferro, & igne, quo ardebat, ſe pro

Caroli pietas multis exemplis comprobata.

Deo

Deo aduersus Cæli hostes, fulminaturum pollicitus? Nec mirum quod tandem victoriâ, primo congressu, relatâ, classico statim in plausum migrante, Apophtegma Iulianum à Procere Palatino magnificè prolatum, *CAESAR venit, vidit, vicit*, ad sensum inauditę pietatis pijssimo trilogio traduxit, & Deo victori Caroli Cęsaris fulmine triunphum decernens, dixit, *CAROLVS venit, vidit: Deus vicit*. O dignam meliori supra Iulianam etiam fortunam auream vocem! O supra etiam auream (quo nihil maius dici potest) Austriam vocem! An non isthęc summę pietatis prodigia, è summi, ac sanctissimi Antistitis scholâ eruditionem sapiebant maximi Pontificis prope diuinam?

In auguratur Hispana Monarchia et deinde imperio germanico.

Imbutam regijs disciplinis pueritiam FERDINANDO Auo ad meliorem, & dignam Catholici titulo vitam translato, Hispanę Monarchię à centum adoratum populis aureum, & gemmeum suarum Indiarum tributis diadema, coronauit, summę potentię, & Catholici nominis apex, superintextâ ex cęsis quadraginta Maurorum millibus iure victorię laureâ triumphali. Magnos sibi, vt solium ex omni parte firmaret, Europę Reges cognationis sacramento coniunxit, Lusitanum, Pannonem, Danum collocatis in matrimonium ELEONORA, ISABELLA, MARIA sororibus; cum iam Anglus CATHARINAM materteram coniugem haberet, & Gallus amicitię vinculo plurimũ teneretur. Hinc quia CAROLVM Cœlum finxerat omni fortunę parem, post orbem natum, conditasque veteres Monarchias, amplitudine, & numero Regnorum Monarcham maximum, Imperij etiam Romani dignitatem adiecit, atq; ita septemuiralia suffragia miscuit, vt Auo Cęsari, maximo suo MAXIMILIANO maior, inter Orbis totius plausus succederet. Ab adito Imperio Occidentis tota CAROLI vita laureata, ac palmaris fuit. Nunquam manus conseruit, quin palmas legeret, bellatrice dexterâ, & lauros meteret ense victore. Annos ipsos victoriarum numero superans, suis triumphis plurium Cęsarum fastos, & sęculorum annales excessit, auctâ interim in immensum ad vtramque solis pueri, ac decrepiti regiam, Austriacâ Dominatione.

Expeditiones & victoria.

Sed quia compendium maximi CAROLI datur, & sola Cosmographica Herois mundo maioris descriptio legi debet, paucis totum Heroem maximum sic explico. Nouem initis in Germaniam expeditionibus, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quattuor in Gallias, decem in Belgium, duabus in Angliam, ac totidem in Libyam & Mauritaniam, Asiâ, Africâ, Europâ, Americâ, magnis quadrifidi terrarum orbis partibus, quà imperio, quà gloriâ coniunctis, victorijs Mauricis, Gheldricis, Othomannicis, Hungaricis, Peloponnesiacis, Hetruscis, Libycis, Numidicis, Rhenanis, Saxonicis, Gandauensibus, Gallicis, Germanicis, Italicis inclytus, mari etiam sexdecies remenso, breuem, si tàm longæ conferatur rerum gestarum historię, quadragintâ annorum regnatricem vitam terminauit, non alia quàm circumductâ sęculorum omnium in orbem periodo, ac panegyri, prędicandam. Visus est per Australem, Borealemq; prodigiosarũ victoriarũ nobilē eclipticā innocentibus monstris splendidè belluatam, terras, Oceanumque percurrere, atq; ipso cum Sole contendere; nisi quòd illum loco, hunc gloriâ sublimem triumphalis semper currus agebat.

Non

Non tot stellis australe cælum accenditur, quot peregrinos splendores noster AVSTRIACVS in morem illustrium siderum circumtulit. Si victoriarum loca quæris; orbis erit, cum *victoriâ* naui sub ipsius auspicijs terrarum, mariumq; ambitum ab occasu in ortum emensâ, cui Argo stellifera cælum cedere potuisset, peragrandus. Quid plura? astris quidem famam terminauit, sed vltra Oceanum Imperium explicuit, supra ipsa gigantea poetarum fabularia vota, ventorum limitibus, & cæli zonis, illud definiens.. Hesperides insulas aureis pomis, & pretioso Autumno diuites, intra pomœria Austriacæ Domus clausit: vltimam terris Thulem, & extrema Gadium claustra inter primos suos portus aperuit, vt ad Magellanicum fretum, & alij cœlo subiecta litora, alio sole calentia, alijs astris illuminata, debellato Oceano, ferocissimo omnium hoste, marium, terrarumque triumphator, appelleret. Vnde non Montes tantum, sed mundum fere dixerim aureum Americanum, quem ab eius nomine *Carolinum* vocarint, per Ferdinandum Cortesium, & Franciscum Pizzarrum Hispani Monarchæ Argonautas, maiora fabulis, & Typhis clauo, & Herculis clauâ molientes, victum in Potestatem Austriacam, ac tributarium redegit. Superbiat Pompeius Sagunto, Carthagine Scipio, Syracusis Marcellus, Hierosolymâ Titus: vrbes sunt: Carolus Orbes expugnauit. Audijt à plerisque, nec immeritò CAROLVS post omnium Cæsarum Principem C. Iulium, Imperatorum omnium, Romanorum, Græcorum, Germanorum victoriosissimus, tanta felicitate de omni hostium genere relatis victorijs, vt grauissimi Chronographi dixerint nemini bellum à CAROLO illatum, quem deinde non modo victum, sed vinctum non habuerit. Audeo dicere, & Iulium ipsum Cæsarem à Carolo victum; nam quod condidit ille Imperium, hic ad Americanum Orbem explicauit, imò inter Imperatores Heros omnes expressit, inter Heroes Imperator, omnes excessit. Cæsare felicior Orientem fugauit, Alexandro maior de Occidente triumphauit; Augusto potentior veteri nouum orbem subegit, Cæsar Orientis, Alexander Occidentis, noui Orbis Augustus, confusisque nominibus, ac titulis, Hispanus Augustus, Germanus Cæsar, Italus Alexander, communi cum alijs, de regnis, & singulari felicitate de ipsis etiam regnorum Victoribus, triumphans. *Fam. Strada.*

Si CAROLO victori more Romano instituendus esset triumphus, infrà æternos, fastigium illud mortalium honorum, an non totus ferè terrarum orbis in vnius Austriaci triumphi pompâ conueheretur? Præiret millenis tubis fama Maximi Herois vbique tibicina, quâ celeberrimâ etiā apud hostes, Solymano ipso magno Turcarum Imperatore magnificè suffragante, ita valuit, vt non solum orbem terrarum in admirationem sui rapuerit, sed multis bellis suâ famâ triunphali feliciter confectis, aliqua ex parte terruerit, atque domuerit. Occurrerent inter fercula laureata, siue Apellæâ, siue Phidiacâ arte conditæ mobiles vrbes, in reuerentiam triumphatoris turrita capita submittentes, CAROLI manu partim expugnatæ, partim extructæ. Et quidem CAROLI Cæsaris domitricem potentiam reueritæ sunt Dura, Gandauium, Mediolanum, Florentia, Guleta, Tunetum, Hipponouus, & Regius, Metone, Corone, Aphrodisium; Be- *Triumphus Caroli in quo omnia ad illius bellicam laudem spectantia enarrantur.*

O nesi-

neficentiam verò molitricem Carolomontium, Phillippopolis, Hesdiffertum, & aliæ innumerabiles vrbes, atque arces, præter Mexicum cognominis Regni vrbem principem, quam incendio absumptam, ac deinde reparatam, amplificatamque quadraginta millibus priuatarum ædium extructis, CAROLI V. *palatium* vocarunt, eius magnificentiæ æternum Augustale. Succederent, maiori mole circumlatæ inter victoriarum lemniscos, curules suis fluminibus, montibus, vrbibus, coronatæ imagines prouinciarum, quas vel ferrum CAROLO deuicit, vel fœdera deuinxerunt: Mauritania superata: Libyæ ora capto Aphrodisio, alijsque dynastijs expugnata: Insubria sex exercitibus hostium propulsis, tribusque magnis pugnis prospero euentu pugnatis, semel Cæsari, bis Sfortiæ Duci reddita: Hetruria Florentinâ Republicâ factionum vulneribus discisâ, imposito Alexandro Medicæo veluti medico Principe sanata: Genuensis Respublica, Regina Ligustici maris, in suam coronatam libertatem asserta: pacata ad celeritatis portentum Gheldria: composita Flandria in vrbe Principe Gandauensi tumultuans: Saxonia profligata: Peloponnesus supremo regiæ classis Architalasso Andrea Auriâ, Neptuniâ illâ Prole, debellata, Metone, & Corone maritimis vrbibus in potestatê Cæsaris redactis: Africa sæpius victa: Asia in Solymano, illo Europæ terrore bis fugata: Germania pluribus prælijs subacta: defensa Italia: Hispania seruata: Gallia sæpius repressa: Europa propugnata: America pluribus stipata regnis subiugata: Occidens Oriente priscæ religionis illustratus: Oriens, Othomannicâ Lunâ sæpius eclipsim patiente, obscuratus. Iungerent se se triumphatorum marium, Atlantici, Indici, Libyci, Mauritani Ionij, Siculi, vndantes in auro, despumantes in argento, gemmantes in litoribus captiuæ effigies, sequentibus per internalla classium Turcicarum rostris, quas altero ad Mauritanæ, altero ad Siciliæ litus prælio fregit, domitis Oceani rebellantis procellis, alijsque maioribus tonantium, ac fulminantium tormentorum turbine aduersus hostes excitatis, vbique victorias referens amplas in fretis, continentes in fluctibus, stabiles in Euripis. Ipsa etiam efferentur magnorum fluminum resupinatis vrnis, fractisque cornibus simulacra, solido licet ex ære, artis tamen prodigio fluctuantia, Eridani, Istri, Rheni, Albis, aliorumque regiorum fluuiorum adhuc alieno sanguine vulnerata. Adderentur in imagine tantum viuentes Fridericus Saxo captus, Philippus Langrauius in ordinem redactus, Monstrum illud hominum Lutherus *Apostata* nequissimus ab Imperij finibus proscriptus, Barbarussa, barbaricus Maumethicæ sectæ tyrannus, cum ducentis peditum, sexdecim equitum millibus attritus, Solymanus cum Xersæo exercitu quingenta, vt aliqui scripsere, hominum millia, per multa milliaria numerante, fugatus, Archipyrata Draghutus cũ exercitatissimâ bellis classe deuictus, Americani Reges, coronata deinde mãcipia, Mexicanus Imperator, Motezuma, Peruanus Acatabalipa debellati. Congestis in vnum cumulum Europæis opibus, Africanis gemmis, Asiaticis spolijs, Americanis thesauris, qui immani sestertiorum, ac talentorum pondere, magnarum nauium dorsa premunt, in annuis Indicarum classium expeditionibus, pretiosæ pompæ spectaculum exhiberetur. Traherentur post Triumphatoris laureati

reati currum seruili iugo subactæ Hæresis, ac Perduellio, victæ, vinctæque, eâdemque vinculorũ ferreorum mole omnis istarum furiarum inferna soboles catenata. Clauderent tandem festum agmen, inter signa tropheis coronata, vexilla laureis, palmisque lemniscata, literata CAROLI MAXIMI AVSTRIACI Augusto Nomine labara, bicipites Aquilas vnguibus fulmina ministrantes, atque oculis victorias spirantes, milites ex omni hominum genere laureati. Salutaretur magnis titulis CAROLVS, Africanus, Americanus, Germanicus, Insubricus, alijsque innumeris. Acclamaretur illi omnium vocibus IO VICTOR, IO CAROLE, IO CÆSAR, IO TRIVMPHE! Hem quãtus foret CAROLI triumphus! Si tamen CAROLVS triumphator exhiberi potest, qui de ingenijs etiam omnium scriptorum triumphauit, & conuiciatorem admittere potest triumpho, non laudatorem. Ergo omisso triumpho viuat famâ suâ etiam immortali maior,

Inque animis hominum pompâ meliore triumphet. *Cl. lib. 3. de laud. Stil.*

Ad cumulos victoriarum accesserunt ingentia ornamenta, ac veluti trophæa naturæ triumphalis, oris honor serenissimâ quadam maiestate, sine tituli mendacio florescens, habitus corporis prorsus militaris, plurimumque Hispanę patientiæ ad perferenda, Belgici vigoris ad aggredienda, Germani roboris habens ad vincenda belli incomoda, quasi nationes, quibus imperabat, omnia sua decora CAROLO Cæsari in tributum pensitarent. *Bona corporis animique.* Sed supra fidem fuerunt animi virtutes tantæ fortunæ non impares, & eæ, quæ prodigia censerentur, nisi in CAROLO essent, cui continuata prodigia vitæ stamina texuerunt. Videbatur CAROLI solio insidere constantia, purpurâ flagrare bonitas, coronâ radiare sapientia, sceptro regnare iustitia, corde clementia viuere, ense armari fortitudo, manu liberalitas explicari, oculis humanitas florere, victorijs triumphare religio, omnis virtus imperatrix esse, parente Imperatore, non solum naturæ, fortunæque bonis, sed omnium virtutum magnis nominibus Maximo.

Admiranda fuere omnia, sed alijs alia pręferentibus miraculum visa est aliquibus summa felicitas collactanea, & quod rarò accidit, cum ipso Maximo CAROLO senescens. Eâdẽ die, quâ natus est anno sæculari, recurrentibus annis, quasi illos cum sęculo sibi initiasset, omnemque felicitatem dedicasset sui sęculi gemellus, & inaugurator, tum Bononiæ a CLEMENTE VII. Pontifice Maximo in omnium Principum Italiæ theatro, populorumque frequentiâ, Imperatorijs Insignibus ritè decoratus est, atque inter omnium plausus ad inuidiam fere Romanorum triumphorum salutatus Augustus, tum sequenti anno Franciscum Vallesium Galliarum Regem Imperij riualem, gloriæque æmulum Lanoio Duce ad Ticinum, Regum Longobardorum Regiam, deleto fere regio exercitu, captiuum habuit. *1500. 24. Feb.* *Felicitas.*

Alijs prodigij loco fuit, stuporemque incussit potentia. Primus hic extra Septemtrionem Austriam non tantum ad occasum, & ortum, sed etiam ad Austrum, per immensa terrarum, mariumque spatia, imò & intermundia explicuit, vt iam & ex Austriâ procreatrice Austriadum Principum, & simul ex Austro domito Hauspurgicæ gentis Heroes Austrij dici *Potentia.*

 possint.

possint. Adoptauit sibi in tesseram suorum consiliorum CAROLVS Cæsar Herculeas Columnas, sed eraso veteri Herculis lemmate de *suo plus vltra* inscripsit, generosique symboli granditatem factis impleuit. Adiecit Austriacis ferè intra Germaniam regnantibus, deductis in Hispaniam Imperatorijs Heroum Colonijs, amplissimam Monarchiam, tot Regnis vndique coronatam. Et quia eius fortuna veteri orbe capi non poterat, plus vltra Herculis, Liberi Patris, Alexandri, Cæsaris, Heroum, Monarcharum, Imperatorum nobilem metam, Orientem, Occidenti, Septemtrioni Austrum, Austriacâ Dominatione coniunxit in vnum fidei, quàm Hispano Monarchæ deberent, sacramentum. Accenditur vtriusque solis innocentibus flammis CAROLI purpura: par orbi terrarum circulus caput coronat: in glacialibus litoribus Oceani, ac terrarum orbis claustris, Ferdinando Magellanico Hispano Argonauta, ad illam Colchidem vectore Typhi, & Hercule victore, firmatur CAROLI sceptrum: in sinu demum noui ad Occidentem Orientis CAROLO Mundi, partim à Ferdinando Cortesio, partim à Francisco Pizzarro, subactis decem, & octo Regibus, ac duobus Imperatoribus Mexicano nimirum, ac Peruano, CAROLI solium stabilitur. Certe dempto Germanico Imperio, alijsque principatibus Austriacis, ea, quæ dotalis PHILIPPI primi CAROLO transmissa est hæreditas, Cosmographicâ decempedâ in solâ Americâ ad septem leucarum belgicarum millia explicatur, in tota deinde sua latitudine Lusitanam etiam dotem CAROLI complectens, Turcico Imperio decies, Romano vicies maior, in amplissimas prouincias vltra orbem veterem, vtramque Indiam, & interminata Regna Mexicum, Peruuiam, Floridam, nouam Hispaniam, Castellam auriferam, Brasiliam, Paraquariam, Chilum, Cuscum, & alia innumera, collectis ferè dixerim omnibus terræ partibus ad sua imperia in immensum feliciter protenditur. Et sanè decebat Austriã Septentrionis Dominam, cui Crux in Rudolpho primo magno pro primigeneo sceptro fuerat, eique in alijs omnibus amor principalis, & Austriaca gloria, sub toto Australi veluti suo patrio cælo, & Cruce in Antarctico polo stellante regnare, vt sub angue aquilonari, & australi Cruce, Regina rerum potentia vtramque spectaret, & quam euertit, & quam colit Cynosuram.

Carolus abdicans magnum nostrorum sæculorũ prodigiũ.

His omissis illud cum primis admiror, quòd abiectâ, pressâque magnanimo pede, tantâ magnitudine mundo pari, & illâ, & Se ipso maior CAROLVS Cæsar stetit, procul dubio iam tum inserens coronatum astris caput, cùm supra mundi sui, calcatam molem assurrexit. Post maximam ab orbe condito potentiam quid aliud deerat, nisi vt Cælitum vitam Austriacus Monarcha traduceret in terris? Quis enim iure possit sibi in animum inducere (quicquid hariolentur malè ominosi semper Politici, de CAROLO abdicante) maximum Cæsarum, ac Regum, sine cælestis amoris imperio, qui solus in CAROLO regnabat, omnibus imperante, mundi Triumphatorem, rerum Dominum, amplissimæ post nata Regna, dominationis, secundissimis omnibus, solo Austro flante, quasi decumanæ instarent vndæ, omnia potentissimæ fortunæ pretiosa velut impedimenta proiecisse, & sceptris, coronis, purpuris, regnis tamquam adora-

tis

tis bullis insultasse, sui iuris factum, atque à Monarchiâ omnium maximâ veluti ab intolerabili seruitute manumissum? Deerat hoc tantum Imperatorum Fænici, vt inter cineres sacros religiosæ pœnitentiæ in Cænobitico illo Diui Iusti Mausoleo immortalem se crearet, postquam omnium victor,& Sui, Palmam ascenderat. Sciebat se terris commodatum ad illarum felicitatem, sed ad sui beatitatem Cœlo natum, æternùmque datum esse, ad quod non nisi per calcata terrena ascenditur. Factus est ergo ex Cæsare nihil; maior tamen iudice terrarum, orbe cùm nihil, quàm cùm Cæsar, cùm se ipsum, quàm cum omnes alios Cæsares superauit, tunc amphitheatro vtriusque orbis dignus, cùm solus, & omnibus titulis, cùm illis eiuratis, ferè extitit sine nomine nullus. Visus est post emensum Austriacis Aquilis victorias ferentibus bicipiti rostro, terrarum orbem, post fixa sub vtroque axe trophæa, & calcatas domino pede alternorum marium arenas ipse orbis terrarũ angustus Augusto,& quia de celo spectabat,lacrymabile punctum, quod magni etiam triumphatores sibi conantur,igni,ferroque diuidere Anatomici infelicium atomõrum.

Hic nobilissimus fuit CAROLI triumphus, in quo de se ipso Maximo, quo nihil erat maius in orbe terrarum, triumphauit. Dixisses vitale quoddam mortis tyrocinium, quo se ad immortalitatẽ inaugurauit. Postquàm mori didicit, ne dedisceret hanc scientiarum maximam, demonstrationemque mortalibus potissimam,ferè statim mortuus est. Nullus Cæsarum magis pro dignitate occubuit quam hic suæ dignitatis abdicator.

Aliquid etiam in CAROLO vltra CAROLVM libet cum veneratione admirari potentissimam, & inuictissimam Monarcharum Posteritatem,Regnatricemq; Heroum Sobolem, ac tot titulis, lauris,palmis,Regnisque coronata nomina PHILIPPÆA. Sed ad illos rerum apices humilis calami debilis penna non volat. Atlantes Monarchæ ferè totius orbis pondus ferentes,pygmei laudatoris operam perderent,non solũ infrà molẽ stantis, sed vix sublimes maximorũ Regum Colossos ex imo spectantis. Homericum plectrum poscunt Austriaci Achilles: postulant magni illi Alexandri Phidiacam manum. Interim parce Clementissimâ rerum Domina MARIA ANNA à quâ CAROLI gloriæ, & sanguinis Regnatores hæredes votis omnibus,& auspicijs expectamus, si tuum CAROLVM cuius splendoribus explicandis infeliciter sudabunt omnium sæculorum annales, humili calamo Gigantẽ dimensus, infrà eius pedes venerabundus iaceo. Etiam sol sine magnitudinis suæ, radiorumq; iacturâ, in abaco pulueris,radiolo describitur,& ipsos conatus, manumq; palmari disco luminũ Monarcham infeliciter, ac tenuiter circumscribentis, illustrat. Qui CAROLVM laudandũ sumpserit,quod ipse sibi inscripsit in magnanimo symbolo PLVS VLTRA scribat; quia plura semper tacebit, quàm eloquatur. Etiam tot plumis, & linguis prædita fama, toti CAROLO elinguis est, & implumis. Hoc vnum orbis terrarum sciat, Carolum ex PHILIPPO Patre Hispano Monarcha, Alexandrum Austriacum fuisse, & magnum,sed ex PHILIPPIS Filio, & Nepotibus, ac ijs, quos continuata sęculorum & Posterorum serie,ita, vt nullus vnquam sit PHILIPPORVM Austriadum numerus, MARIA ANNA spes tot Regnorum Augustissima, dederis, fuisse Maximum, & si quod est maximo maius. CA-

CAROLVS V· MAXIMVS.

Inscriptio.

CAROLO V. ter maximo Heroi,
Marium, terrarumque, Triumphatori,
Publicæ libertatis in orbe veteri Propugnatori,
Orthodoxæ fidei in nouo Propagatori,
Rerum Domino, vtriusque orbis Monarchæ
Cæsarum Regi, Regum Cæsari
Imperatorũ Romanorum, Græcorũ Germanorum, Potentissimo
Austriadum Felicissimo,
A subacta pluribus in Regnis Africa
Africano,
At defensa pluribus in prouincijs Europa,
Europæo,
A fugata in Solymano Asia
Asiatico,
A prælijs Italicis, triumphis Belgicis, bellis Germanicis,
Italiæ Liberatori, Belgij Recuperatori, Germaniæ Domitori,
A gloriosissimis victorijs,
Hispano, Insubrico, Saxonico, Hetrusco, Gheldrico, Hungarico,
Peloponnesiaco, Tunetano, Tremisseno;
Quòd Austriacam Felicitatem Imperatricẽ Romani Imperij,
Regnatricem Hispanorum Regnorum
Orbe nouo domito, in immensum amplificauerit:
Quòd pyraticam crudelitatem, Turcicam barbariem,
Indicam superstitionem,
Hæreticam perfidiam,
Ubique represserit,
Ad sæculorum prodigium
Inuictissimus, Pijssimus, Fortunatissimus,
Supra omnem regiorum titulorum beatitatem,
A pro-

Seruator expugnator vrbiũ illustris.

A propugnatis regnis; expugnatis Urbibus,
impugnatis exercitibus
Σωτὴρ, Πολιορκήτης, Ἐπιφανὴς,
Inter Abilam, & Calpem,
Quibus deleto Herculeo non plus vltra
Ipse CAROLUS plus vltra *inscripsit,*
Supra Alexandri Macedonis, & Iulij Cæsaris fortunam,
Plebs, Equites, Patricij,
Senatus, Populusque humanæ Reipublicæ
Ad immortale omnium mortalium monimentum,
Arcum hunc triumphalem suspendunt,
stupore suspensi.

SYNOPSIS GENEALOGICA.

A CAROLO V. MAXIMO AD FERDINANDVM I.

CAROLVS V. Maximus post orbem triumphatum infinitæ suæ potentiæ victor, maior cum sui Rex, quam cum Mundi, in gloriosissima Regnorum omnium abdicatione Ferdinando I. fratri per Orangium Principem Erinnym illam Belgicorum tumultuum, sceptrum Imperij, totiusq; in Germania Austriaci patrimonij, Cæsar transmisit: PHILIPPI vero II. filij Inuictissimi, Potentissimi, ac Maximi Herculeis humeris, Hispanæ Monarchiæ tot regnis, imò & gemino Mundo grauis Iberus Atlas molem imposuit. Hinc bifida Austriaca Domus magno Orbis terrarum bono Imperatrix, & Regnatrix ad Septentrionem, & Occidentem, Augustum, Regiumque Solium statuit. Præter PHILIPPVM Hispanum Monarcham, alia magna nomina ex Isabella Lusitana Austriaco-Hispanos fastos hoc ordine nobilitarunt.

CAROLVS V. MAXIMVS.
PHILIPPVS II. FERDINANDVS III. MARIA II. IOANNA II.
PHILIPPVS III. *IOANNES. MARGARITA.*
PHILIPPVS IIII. Inuictissimi, Pijssimi, Potentissimi Hispaniarum Monarchæ.

FERDINANDVS III. Hispaniarum Infans obijt in Hispania adhuc impubes, dum CAROLVS Cæsar Rempublicam Belgicam cõponeret. Hunc Regem Belgio destinarat, vnde ad nuncium mortis illacrymantem dixisse ferunt aliquibus Proceribus Belgis. *Ego quidem lugeo filium; at vos amissum lugete Dominum, & Regem vestrum.* Statuerat siquidem CAROLVS in vnum Regni titulum Belgicas prouincias contrahere, & Regem Belgij Ferdinandum filium natu secundum creare. MARIA II. Imperatrix nupsit MAXIMILIANO II. Cæsari multis alijs titulis Imperatorijs supra omnes Orbis terrarum fæminas, post natum Romanum Imperiũ clarissima. IOANNA

NA II. Lusitaniæ Regina Ioannis Regis vxor fuit, & Magni, sed infelicis Sebastiani mater, cuius sanguine maximi Aui Africanæ palmæ, laureæq; cruentatæ sunt. Eius immaturo obitu nullum Africa nostris sæculis monstrum maius peperit. IOANNES Austriacus inferiore thoro natus, verum impensè a CAROLO amatus, victoria nauali ad Echinadas, ac bello Belgico celeberrimus, & gloriosissimus extitit. MARGARITA eiusdem cum Ioanne sanguinis primum Alexandro Magno Hetruriæ Duci, tum Octauio Parmensi coniugata, demum administrationi Reipublicæ Belgicæ admota, cum summa prudentiæ, & pietatis laude, in annalibus superioris sæculi semper viuet, felicitate prolis in Alexandro Farnesio Belgico illo Marte ferè cum Olympia magni Macedonis matre conferenda: in reliqua heroica posteritate supra illam etiam prædicanda.

PHILIPPVM II. omnes terrarum Orbis partes eloquentur, quæ toti Orbi regendo parem admiratæ sunt, & omnibus suis regnis maiorem. Vt maximum Monarcham supra veteres, nouosque terrarum, mariumque Regnatores crearet, Oriens Occidensque in vnum conspirarunt, omnibus ventis thesauros ferentibus. Dictus est sui sæculi Christianus Cyrus prudentia, magnanimitate Hispanus Augustus, ostéditque quantum virtutum ferat Catholici nomen. Si quid defuit PHILIPPO II. mortalitati ipsi nostræ deesse puta, cùm absolutissima fuerit Maximi, & pijssimi Monarchæ imago.

In paterno Imperio, nomine, & solio Hispanico, successit PHILIPPVS III. Orientis, & Occidentis Monarcha, a Maurica barbarie, ab Hispanijs proscripta, alijsque titulis religiosissimus, & fortissimus.

Huic ex MARGARITA VII. Austriaca FERDINANDI II. Cæsaris sorore prudentissima, ac sanctissima Heroina Cœlum destinauit heredem Monarcham potentia sapientia, pietate ter maximum PHILIPPVM IIII. DOMINICVM VICTOREM, implentem magna nomina, & Maiorum maximos titulos, pondusque gemini Orbis sustinentem heroicis virtutibus, cui post Nestoreos annos, serenissimorum liberorum, per sæculorum omnium ambitum, coronam, quæ sola Orbis vtriusque Monarchæ ad omnem felicitatem deest, omnibus Cæli, terræque auspicijs auspicor. PHILIPPO MARIA ANNA vnicus illius amor nuptijs, & numero, & faustitate secundis, desponsata, Austriam, non nisi cum Cæsarea fortuna in Hispaniam velificantem reuehis, & PHILIPPIS FERDINANDOS Austriadas iungens, religionem potentiæ, Germanas lauros Hispanis palmis maritas, omnemque coniugem simul felicitatem, aurea fide, & adamantinis nodis æterni connubij. In auspicatissimis tuis nuptijs, coniugatis simul inter Australia signa dominatoribus, mariumq; terrarumque principibus Planetis, minimè mendaci coniectura, augurari licet horoscopum summæ felicitatis. Ex te AVGVSTISSIMA SPONSA, & MAXIMO CONIVGE Tuo PHILIPPO Oriens, Occidens, Europa, & Africa CAROLOS maximos, Austria magnos RVDOLPHOS, Germania pios FERDINANDOS, Belgium, & Burgundia felices MAXIMILIANOS, Hispania potentissimos PHILIPPOS, Italia pacificos FRIDERICOS, Orbis terrarum triumphatores, & honorificos ALBERTOS Heroas optimos, & maximos, & si fieri potest parentibus meliores, & maiores, certantibus cum ingentibus auspicijs, magnis votis, expectat.

IMPE-



Fed. Agnellus sculpsit

IMPERATOR CÆSAR FERDINANDVS I. PIVS, FELIX, AVGVSTVS, REX GERMANIÆ, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ,

Dux Burg. Stir. Car. Carniol. Silef. VVirtembergiæ Princeps Sueuiæ, Marchio Morau. Luf., & Burgou.

Landg. Alſ. Comes Hauſp. Tyrolis &c.

EXcipe totâ maiori etiam titulorum ſplendoribus Auguſtæ Frontis ſerenitate,pluſquam tergemino nexu Tuum, Paternum, Auitum, Fraternum, FERDINANDÆVM nomen Heroina in Germanis FERDINANDIS, atque Hiſpanis, quos tuo coniugio feliciter iungis, gloriæ tanti nominis hæres. Illud tibi in hoc paterno PROAVO glorioſiſſimum, in materno TRITAVO accedente præſertim Catholici titulo religioſiſſimum, in AVO pio, Sanctiſſimum, in PATRE triumphali victorioſiſſimum, in FRATRE ſuauiſſimo auſpicatiſſimum magnificè ſonat, & ſi cælum non præripuiſſet magnis alijs victorijs, illum Belgij liberatorem, hæreſeos triumphatorem, domitorem perduellionis FERDINANDVM Auſtriacum PHILIPPI IV. Maximi tui Coniugis Monarchæ Fratrem, alijs etiam titulis feliciſſimum. Acclamate laureati, bellatores Germaniæ populi, triumphali nomini inter lauros, palmaſque naſcenti, & ad nouos triumphos FERDINANDÆÆ Imperatricis poſteritatis, iterum lauris, palmiſque creſcentibus incidite. Arridete hilari vultu pallidi Triones, voſq; maleficis radijs armatæ glaciales Vrſæ, & hyperborei Angues ad Auguſti Nominis obſequiũ miteſcite. Subſidite tẽpeſtatum prodromi Aquilones, liberato ſeditioſis turbinibus Germanico cœlo, dum Auſtri innocentes lenibus auris veris parentes, inter floreos nimbos ſuauiſſimum FERDINANDI nomen expirant. Fuge Othomanna barbaries, & licet de Parthorum genere in fugâ non tela, ſed arcus proijce. Cede perduellio, ac turritum tot arcibus caput, totque prouin-

cijs coronatum, Imperatori nomini venerabunda submitte. Dehisce hæresis, furialem tædam extingue, inclina sanguineo capillitio cristatum caput, serpentemque turbam excute, atq; euome tandem, quam vbique exhalas, infernam mephitim. Ad Herculeum FERDINANDORVM Austriadum Nomen, expue dentes cerbereos liuor, frange taurina cornua arrogantia, demitte leoninos armos superbia, & euentilatas semper auris infelicibus iubas. Siste fortuna hoc nomine, veluti aureo clauo ferream tuam præcipitem rotam. Apagite naufragi in lacrymis luctus: abite homicidæ irarum furores, & omnia noxia mortalibus malorum nomina, vbi primùm sonat, ac veluti de cælo nascitur FERDINANDÆVM in Austriâ Nomen. Nullis notetur calculis ditissimum hoc Nomen, quàm gemmeis, quibus victus Oriens inter pretiosas suorum marium tempestates grandinet Imperatoribus Occidentis: Nullo literato metallo sculpatur, quàm auro ex hostium manubijs captiuo, cui victor nomen pretiū addat: nullæ tabulæ illud ferant, quam adamantinæ æternitatis in Austriacis fastis. Non communi tubâ, sed argenteâ, fama heroicum Nomen euulget; imò nec fama, sed Clio Heroum buccinatrix: soli plausus Oratores FERDINANDÆVM nomen eloquantur: solæ acclamationes Poetriæ canant: sola labara laureata exponant: sola trophæa triumphalia explicent: soli obelisci, columnæ, arcus æterni testes magnarum victoriarum publicent. Solæ tandem victrices Aquilæ cum iugalibus Cycnis pijssimum, & fortissimum Nomen sublime ad cælum extollant.

1503. x. Mart. Primus inter AVSTRIADAS FERDINANDVS sub Hispanico cęlo natus, nouum sidus in Occidente exoriens, Hispanias illustrauit, Nomine, & sanctitatis titulis, & fortitudinis inter Hispanos Reges clarissimo; nam *In Hispania oritur.* gloriosissimū hoc Nomen sæpius summâ cum laude purpuram induit, sceptrumq; tractauit, in Sanctis, Magnis, & Catholicis FERDINANDIS coronatum. Austriaco in Hispania nascenti omnis gemella faustitas simul oritur; neq; enim alius præter patriā, & sanguinem quærendus est horoscopus felicitatis. Cæelestes domos vnusquisq; de suo sibi architectatur, ac fabricat, omnemq; mortalē, & immortalem fortunam: cælum suis moribus quisq; componit, & amoribus rotat, sapientiâ vbiq; Astrorum, Reipublicæ imperante. Si placeret tamen ab anno, & mense natali totius vitæ cursum auspicari, cùm & ille inauguratus paulò ante à CAROLO cum toto sæculo, & hic Martius fuerit, iam poterant auguralibus tubis grandes in ipso ortu, grandæuæq; cani victoriæ. Quid vero ab Austriacis Aquilis fulminatricibus victoriarum, ac triumphorum expectari non debuit, vbi Castellanis Leonibus additæ, in aeris, siluarumq; victoriosissimis Dominatoribus, omnia regnandi, vincendique auspicia iungebant. FERDINANDVM Magnum Catholicum, in cuius aulâ ab ineunte ætate Aluaro Osorio, & Petro Nonio Gusmano nobilissimis morum, & literarum Doctoribus vsus, prima boni Imperatoris tyrocinia parendo posuit, & nominis *Leo Castellani Regni insigne.* Regij Aui, & vtriusque tituli, si minus Regnorum, hæres institutus, ita totum imitatione induit, vt FERDINANDVM semper deinde ipse exhibuerit & Magnum, & Catholicum etiam extra Hispaniam. Si non inuenisset in AVO, potuisset ipse de suo, FERDINANDÆO Nomini, tan-

tam

tam magnitudinis, & Religionis famam creare, vt adſcribendum illi conderet Magni, & Catholici cognomentum. Eos demum ſparſit radios in ipsâ vitæ Aurorâ hic Phoſphorus etiam in Occidente, vt ſperari poſſet aliquando Heſperus futurus barbaro Orienti. Auo Catholico FERDINANDO ex hac vitâ migrante, & CAROLO fratre ad Hiſpanam Monarchiam inaugurato, ad Belgicæ Reipublicæ regimen traducitur, vbi famâ bene adminiſtratæ prouinciæ ſuccenturiante ſeptemuiralis Senatus magna ſuffragia, nobili hoc titulo potius, quàm viciniâ locorum ad Germanicum Imperium propius acceſſit. Hinc Auſtriæ redditus, illâ, ac finitimis totius Germaniæ ſuperioris, quà Hauſpurgicæ genti paret, Principatibus, à CAROLO Cæſare munificentiſſimè donatur, raro etiam inter fratres exemplo extra Auſtriacam domum, in qua ſidera cæleſtium domorum inquilina imitantur Heroes immortales Auſtriaci, dum familiari veluti commercio, ac fraternis ſplendoribus ad orbis terrarum bonum ſemper conſpirant.

Inde ANNAM Iagellonicam magni ſanguinis, & dotis Heroinam, Vladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regijs filiam, ac Ludouici ſororem, vxorē ducit feliciſſimis de more in Auſtriacâ Domo nuptialibus auſpicijs, eodē regio hymenæo ANNAM FERDINANDO, & Hungariam, Bohemiamque iterum coniugantem, à morte LADISLAI Auſtriaci filij ALBERTI II. Honorifici Cæſaris, ſexaginta annorum diuortio ab eâdem Auſtria diuulsas. ANNÆ dulciſſimum, & nobiliſſimum nomen, ſicuti ſemper gratiam ſonat, fertq; ſecum omnem charitum chorum, ita nunquam ſine purpurâ ac paludamento, ſine ſceptris coroniſque, aut naſcitur, aut peregrinum ingreditur in Auſtriacam Domum. Regia dignitas gemino ex Regno cumulatiſſima Imperatrici in Germaniâ Auſtriȩ genti addita, ANNÆ nomini dotalis debetur. Vnde occiſo in bello Turcico ad Mohetium Ludouico ad vtriuſq; regni ſolium FERDINANDVS pluribus titulis vocatus fuit, & eodem anno Albæ Regalis, & Pragæ cum ingenti totius orbis orthodoxi plauſu inauguratus, Regijſq; decoratus Inſignibus. Olympiade vix elapsâ adiecit veluti impatiens fortuna tertiam FERDINANDO Romanorum Regi coronam Coloniæ Agrippinæ, vbi Sanctorum Magorum Regum corpora ſummâ veneratione coluntur, pridie illius diei, quam ſacram regiæ diuinis Solis adorationi ſub illuſtriſſimæ Stellæ ducatu ab ipſis ſplendoribus EPIPHANIAM vocant, vt & ipſe in adoratione trium Regum triplici iam regno coronatus, eodem ſidere, sereniſſimo illius diei ſole, irradiaret illuſtris, poſſetq; religioſiori titulo EPIPHANIS cognomentum ab ipsâ ad imperium inaugurationē ſortiri. Aucta regnis, & vicariâ imperij adminiſtratione otiari non debuit tanta felicitas.

Nuptiæ cū Annâ Iagellonica auſpicatiſſima.

1526.

1531.

Primam expeditionem in Hungariam ſuſcepit aduerſus Ioannem Zapolium Tranſiluaniæ Vaiuodam, qui per eoſdem dies, quibus Ferdinandus Rex Salutatus fuerat, Regis nomen inuaſerat, ac tunc othomannico patrocinio fretus, & auxilijs Barbarorum inſtructus, Hungariam ferro & igni vaſtabat. Buda vrbs Hungariæ Princeps facili, & innocenti victoriâ recipitur: Vaiuoda Regno Hungarico, & Dacico Principatu ſpoliatur

Dacica, & Turcica victoria.

cijs coronatum, Imperatori nomini venerabunda submitte. Dehisce hæresis, furialem tædam extingue, inclina sanguineo capillitio cristatum caput, serpentemque turbam excute, atq; euome tandem, quam vbique exhalas, infernam mephitim. Ad Herculeum FERDINANDORVM Austriadum Nomen, expue dentes cerbereos liuor, frange taurina cornua arrogantia, demitte leoninos armos superbia, & euentilatas semper auris infelicibus iubas. Siste fortuna hoc nomine, veluti aureo clauo ferream tuam præcipitem rotam. Apagite naufragi in lacrymis luctus: abite homicidæ irarum furores, & omnia noxia mortalibus malorum nomina, vbi primùm sonat, ac veluti de cælo nascitur FERDINANDÆVM in Austriâ Nomen. Nullis notetur calculis ditissimum hoc Nomen, quàm gemmeis, quibus victus Oriens inter pretiosas suorum marium tempestates grandinet Imperatoribus Occidentis: Nullo literato metallo sculpatur, quàm auro ex hostium manubijs captiuo, cui victor nomen pretiū addat: nullæ tabulæ illud ferant, quam adamantinæ æternitatis in Austriacis fastis. Non communi tubâ, sed argenteâ, fama heroicum Nomen euulget; imò nec fama, sed Clio Heroum buccinatrix: soli plausus Oratores FERDINANDÆVM nomen eloquantur: solæ acclamationes Poetriæ canant: sola labara laureata exponant: sola trophæa triumphalia explicent: soli obelisci, columnæ, arcus æterni testes magnarum victoriarum publicent. Solæ tandem victrices Aquilæ cum iugalibus Cycnis pijssimum, & fortissimum Nomen sublime ad cælum extollant.

1503. 10. Mart. Primus inter AVSTRIADAS FERDINANDVS sub Hispanico cęlo natus, nouum sidus in Occidente exoriens, Hispanias illustrauit, Nomine, & sanctitatis titulis, & fortitudinis inter Hispanos Reges clarissimo; nam gloriosissimū hoc Nomen sæpius summâ cum laude purpuram induit, sceptrumq; tractauit, in Sanctis, Magnis, & Catholicis FERDINANDIS coronatum. Austriaco in Hispania nascenti omnis gemella faustitas simul oritur; neq; enim alius præter patriā, & sanguinem quærendus est horoscopus felicitatis. Cælestes domos vnusquisq; de suo sibi architectatur, ac fabricat, omnemq; mortalē, & immortalem fortunam: cælum suis moribus quisq; componit, & amoribus rotat, sapientiâ vbiq; Astrorum, Reipublicæ imperante. Si placeret tamen ab anno, & mense natali totius vitæ cursum auspicari, cùm & ille inauguratus paulò ante à CAROLO cum toto sæculo, & hic Martius fuerit, iam poterant auguralibus tubis grandes in ipso ortu, grandæuæq; cani victoriæ. Quid vero ab Austriacis Aquilis fulminatricibus victoriarum, ac triumphorum expectari non debuit, vbi Castellanis Leonibus additæ, in aeris, siluarumq; victoriosissimis Dominatoribus, omnia regnandi, vincendique auspicia iungebant. FERDINANDVM Magnum Catholicum, in cuius aulâ ab ineunte ætate Aluaro Osorio, & Petro Nonio Gusinano nobilissimis morum, & literarum Doctoribus vsus, prima boni Imperatoris tyrocinia parendo posuit, & nominis Regij Aui, & vtriusque tituli, si minus Regnorum, hæres institutus, ita totum imitatione induit, vt FERDINANDVM semper deinde ipse exhibuerit & Magnum, & Catholicum etiam extra Hispaniam. Si non inuenisset in AVO, potuisset ipse de suo, FERDINANDÆO Nomini, tantam

In Hispania oritur.

Leo Castellani Regni insigne.

tam magnitudinis, & Religionis famam creare, vt adscribendum illi conderet Magni, & Catholici cognomentum. Eos demum sparsit radios in ipsâ vitæ Aurorâ hic Phosphorus etiam in Occidente, vt sperari posset aliquando Hesperus futurus barbaro Orienti. Auo Catholico FERDINANDO ex hac vitâ migrante, & CAROLO fratre ad Hispanam Monarchiam inaugurato, ad Belgicæ Reipublicæ regimen traducitur, vbi famâ bene administratæ prouinciæ succenturiante septemuiralis Senatus magna suffragia, nobili hoc titulo potius, quàm viciniâ locorum ad Germanicum Imperium propius accessit. Hinc Austriæ redditus, illâ, ac finitimis totius Germaniæ superioris, quà Hauspurgicæ genti paret, Principatibus, à CAROLO Cæsare munificentissimè donatur, raro etiam inter fratres exemplo extra Austriacam domum, in qua sidera cælestium domorum inquilina imitantur Heroes immortales Austriaci, dum familiari veluti commercio, ac fraternis splendoribus ad orbis terrarum bonum semper conspirant.

Inde ANNAM Iagellonicam magni sanguinis, & dotis Heroinam Vladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regijs filiam, ac Ludouici sororem, vxorē ducit felicissimis de more in Austriacâ Domo nuptialibus auspicijs, eodē regio hymenæo ANNAM FERDINANDO, & Hungariam, Bohemiamque iterum coniugantem, à morte LADISLAI Austriaci filij ALBERTI II. Honorifici Cæsaris, sexaginta annorum diuortio ab eádem Austriá diuultas. ANNÆ dulcissimum, & nobilissimum nomen, sicuti semper gratiam sonat, fertq; secum omnem charitum chorum, ita nunquam sine purpurâ ac paludamento, sine sceptris coronisque, aut nascitur, aut peregrinum ingreditur in Austriacam Domum. Regia dignitas gemino ex Regno cumulatissima Imperatrici in Germaniâ Austrię genti addita, ANNÆ nomini dotalis debetur. Vnde occiso in bello Turcico ad Mohetium Ludouico ad vtriusq; regni solium FERDINANDVS pluribus titulis vocatus fuit, & eodem anno Albæ Regalis, & Pragæ cum ingenti totius orbis orthodoxi plausu inauguratus, Regijsq; decoratus Insignibus. Olympiade vix elapsâ adiecit veluti impatiens fortuna tertiam FERDINANDO Romanorum Regi coronam Coloniæ Agrippinæ, vbi Sanctorum Magorum Regum corpora summâ veneratione coluntur, pridie illius diei, quam sacram regiæ diuinis Solis adorationi sub illustrissimæ Stellæ ducatu ab ipsis splendoribus EPIPHANIAM vocant, vt & ipse in adoratione trium Regum triplici iam regno coronatus, eodem sidere, serenissimo illius diei sole, irradiaret illustris, possetq; religiosiori titulo EPIPHANIS cognomentum ab ipsâ ad imperium inauguratione sortiri. Aucta regnis, & vicariâ imperij administratione otiari non debuit tanta felicitas.

Nuptiæ cū Annâ Iagellonica auspicatissima.

1526.

1531.

Primam expeditionem in Hungariam suscepit aduersus Ioannem Zapolium Transiluaniæ Vainodam, qui per eosdem dies, quibus Ferdinandus Rex Salutatus fuerat, Regis nomen inuaserat, ac tunc othomannico patrocinio fretus, & auxilijs Barbarorum instructus, Hungariam ferro & igni vastabat. Buda vrbs Hungariæ Princeps facili, & innocenti victoriâ recipitur: Vaiuoda Regno Hungarico, & Dacico Principatu spoliatur

Dacica, & Turcica victoria.

 iustif-

iustissimis è cælo vindicijs, vt qui peregrinum Regnum per summum nefas occuparat, principatu patrio exueretur, & regij nominis amitteret, qui Turcicá clientelá Christiani nominis dignitatem abiecerat. Fulminatum est potius, quam pugnatum, Deo ferè dixerim manum suam commodante, Dei causa pugnantibus. Dacica victoria Traiani triumpho digna in FERDINANDO optimis etiam Imperatoribus meliori, gradus fuit ad Turcicam, bonæ stirpis laureâ aliam germinante. Solymanus Asiæ Dominus, Africæ domitor, Europæ vastator, Othomannorum Principum bellicosissimus, totum Orientem in Occidentem mouet, & vt vno prælio euertat, Viennam aggreditur, Regni Germanici caput, Austriadum Cęsarum sedem, & Occidentalis Romani Imperij veluti alteram Romam. Iam Babylonij Euphratis Incolæ, Ægyptij Nili: Scythici Tanais, Armeni Tigris Danubium bibunt, Othomannico ferro omnem Germanię sanguinem sitiente. Iam deuoratá spe ingentis victoriæ barbarus Tyrannus, minas eructat. Sed Xerses Othomannus Miltiadem Austriacum inuenit in FERDINANDO, & Greciam in Austriâ. Stetit Vienna inuictissimæ, & victoriosissimæ constantiæ, atq; Othomannícæ potentiæ repulsæ æternum trophæum, stabitque semper ipso suorum magnorum Cæsarum solio, quod sustinet, in æuum firmata. Audiere Viennenses Turcica tormenta, non sensere, & ex fulminalibus machinis in cassum tonanti ære crepantibus nihil pręter fatuos ignes, & sterilis bombi insanas minas erupit; quasi contra ventos, non contra viros pugnaretur. Cum viribus arcus eneruantur, feritas cum ferro hebetatur, incendiarij ignes cum furore extinguuntur, soluitur cum testudinibus exercitus, astus cum cuniculis aperiuntur, ac totus frangitur in fragores stolidos, ignauosq; Othomannicæ Lunæ sonorus turbo, vnde rarescente numero, ac frigescente audaciá Barbarorum, post viginti irritos assultus totam illam Turcici imperij, auxiliarisque Scythiæ barbariem, solum aduentantis FERDINANDI Nomen, & fama, tubâ suâ classicum personans, & simul canens victoriam, in fugam ignominiosam, ac præcipitem egit, vsq; ad sui Hellesponti fauces, desideratis á Solymano in eá Viennensi obsidione sexaginta militum millibus. Cedite Germanici, Drusi triumphales, & si qua alia cum Constantinis, ac Traianis Imperatoriæ Gentis Augusta Capita, in Germanâ lauro vernastis. Minus valuere ad reprimendos Barbaros victores vestri exercitus, quàm sola FERDINANDI Cæsaris fama, & magni nominis terror. En Thracius ille Mars Solymanus dum strages minitatur qualem triumphũ dedit solâ FERDINANDI maiestate fugatus! Ita si quidem obiecere Austri Othomannicę Lunę nubẽ fulminibus fætam, procellisq; tonantem, vt statim ex oculis euanesceret.

Mirante adhuc Austrio Danubio FERDINANDÆAS victorias, alias Bohemus Albis obstupuit, ex bello Saxonico, quod cum Cæsare Fratre Ferdinandus feliciter gessit; vtrâq; fluminis ripâ illhinc CAROLI, hinc FERDINANDI triumphali Nomini plaudente. Et certè Saxonica hæc victoria ad Locheranam siluam cũ hoste potentissimo, quem stipendiaria totius septentrionis hæresis sequebatur, nõ minus FERDINANDI gladio, quàm CAROLI sceptro adscripta est, cũ hic Hispano auro, ille Germano

Victoria bohemica.

ferro

ferro pugnarit. Agnitum est ex illo bello quæ monstrã pariebat Africa Lutherana, & quò collinearent cum nupero illo musteo Euangelio, quod multis Germanis populis ebrietatem lethalem induxerat, concionales Rabulæ, ac sanguinarij hæretici calami, tantam calamitatem terris inferrentes. Compositâ post Saxoniam debellatam Bohemiâ, & VVirtembergiâ Vdalrico Duci restitutâ, iure successionis & clientelæ reseruato, alta pax FERDINANDVM excepit, in cuius sinu cum summa religionis, & prudentiæ laude floruit ab ipso Solymano gloriæ AVSTRIADVM æmulo, & orthodoxi eorumdem nominis hoste sæpius laudatus, ac regijs xenijs, è Bizantinis thesauris, tributisq; Orientis pretiosissimis excultus.

Carolo Cæsari in Imperio succedit.

Interim CAROLVS Cæsar abdicato terrarum, mariumq; arbitrio, in cernendâ magnâ hæreditate summâ cum pietate erga totum Austriacum Genus FILIO FRATREM æquat, illumque Hispanæ Monarchiæ Atlantem instituens, hunc Germanici Imperij Herculē, ingentem vtriusq; mundi molem ex humeris deposuit. Scilicet immensam in CAROLO vim opum, classium robur, exercituum numerum, nominis gloriam, cumulos triumphorum, regnorum pondus, non poterat vnus hæres sustinere. Ita tamen diuisit Austriaci orbis hæreditatem, vt omnia præter seipsū partiri potuerit, & MAXIMI titulum, nam in vtroq; totus CAROLVS vixit, & neuter non Maximus fuit. Imperatorem non mutauit Germania, sed nomen: iunctis nominibus distingui CAROLVS, & FERDINANDVS vix poterant. Nunc primum in Austriaco cælo gemini Cæsares lucida fraterna sidera stellant, & pro Castore Pollux beneficis terrarum orbi radijs regnat.

Adito imperio Ferdinandus ostendit ab eo nomine seiungi non posse fortitudinis, & magnitudinis titulos veluti primigeneos, ab Hispanis Regibus ad Austriacos Heroas traductos, & nullum in Austriacis fastis FERDINANDVM non Catholicum esse, & Magnum. Aliqui adhuc FERDINANDI I. Cæsaris nomini adiecere Impauidi cognomentum, quia visus est pro Numinis gloriâ, & patriæ salute caput suum deuouisse. Ego adderem & Pij, quia, vt in hanc epitomen contraham immensam laudum molem, Romanam fidem Germano candore semper coluit. Summo odio ferebatur in hæresim, amore in Religionem, vnde idem hæreticis infestus Cometes, & religiosis viris faustissimum sidus effulsit. Illitam Biblijs à Luthero versis Hæreseos pestem, ne vlterius serperet, igni damnauit. Maluisset tortor ignis authographum punire, ipsum temulentum entheati *Apostatæ* caput, è quo anctore pseudobiblia illa prodierant, & eas notas inurere, quas stigmaticus trifurcifer merebatur. Illâ siquidem tantùm luce cum suis libris dignus erat piceus trium literarum venereus, non venerabilis Doctor Lutherus, quam carnifex ignis ederet. Ex aduerso sacras religiosorum hominum colonias vndique adduxit, & inter alias recens natam Societatem IESV in Germaniam aduocauit, augustisq; amoribus, ac beneficijs impensè fouit. Hostium suorum hostes non amare non poterat, qui, quos bellis euerteret ipse, libellis proscinderent, tenuiori quidem stylo, sed fida manu, & vbique

Ferdinādi singularis pietas.

que etiam in pace fine vllis inducijs pugnante. Illi homines semper placuere, qui eundem, quem ipse, sequerentur Ducem. Quemnam autem Imperatorem sequeretur FERDINANDVS Imperator, satis aperuit in consiliorum suorum tesserâ symbolicâ (vulgò *Impresia*) in qua Aquila mundo insidens, Crucemque in pectore gestans pro FERDINANDO sic loquebatur. CHRISTO DVCE. Hanc incredibilem beneuolentiam erga Ignatij familiam, totamque nostram gentem hæreditariam transmisit Augustæ Posteritati, successoribus præsertim FERDINANDIS cum tanto propagatam auctario, vt explicari nequeat quantum IESV socij debeant FERDINANDÆO Nomini. Debent æternùm quidquid ipsa societas est in Germania, & vbique locorũ. Imò tota quidquid loquetur & aget, si minus per Panegyrico, saltem pro Eucharistico erit omnium gratiarum maximis FERDINANDIS. Scio beneficiorum in nostræ nationis homines FERDINANDORVM Cæsarum Imperatoria congiaria, sonorá tubâ digna esse, non hoc stridenti calamo, sed malo vitio verti gratam orationem, quam ingratum silentium. Proximi in terris Deo Cæsares, id quod fauentissimæ ipsorum gratiæ, ac beneficentiæ rependitur, More Diuino ex amoris mole non rei, æstimabunt. Eò deinde peruenit inusitati ardoris in Religionis causâ FERDINANDVS Cæsar, vt audiens magna detrimenta, quæ ex lutheranâ hæresi patiebatur christiana Respublica, in febrim inciderit, hoc prodigioso morbo demonstrans, se pio quodam vitali calore viuere, qui solitò acrius circa cor ardens, febrim hanc pietatis attulerat. Visus est ex Sancti Stephani Apostoli Regis coronâ, quę illi in ipsa inauguratione, ad Hungaricum regnum imposita est, omnium virtutum radios haurire, & omne, præsertim Religionis, fastigium occupare. Obitum suum presagiens edixit ne quis eum Regis, Cæsarisque titulis appellaret, sed solo FERDINANDI Nomine. Verum elusa est christianæ demissionis pia simplicitas, tum maximè attollendæ, ex Euangelij oraculo, cùm humilius subsidit. Iam enim FERDINANDI nomen supra Cæsareum erat, ac regium titulum. Hac fortitudinis, & pietatis laude imperans FERDINANDVS I. dignus FERDINANDO II. nepote Auus, ac III. Proauus, annorum tandem, ac palmarum pondere grauis post sexennc imperium terras reliquit eo ipso triumphali die, quo S. Iacobus Sospitator Hispaniæ contra Afros Sarracenos, & Mauros gloriosissimus, per orbem orthodoxum solemni honoris institutione colitur, vt FERDINANDVS Austriacus Othomannorum Turcarum, & Sarracenorum Asiaticorum, atque Europæorum terror, FERDINANDI Aui Regis Catholici de Mauritanâ barbarie toties victoris, nominis & gloriæ hæres, quasi in partem triumphi vocatus, cæleste capitolium triumphator adiret, Auspicatissimus vel hoc ipso Nomine magnis deinde successoribus EERDINANDIS. Ite FERDINANDI Cæsares, & aurea date signata pretio huius Nominis FERDINANDÆA sæcula. Ite aurea FERDINANDÆA sæcula, sine vllo vestri & FERDINANDORVM Austriadum, fine pretiosissima. Interim dum hæc sęcula fluent (fluent autem in æuum) FERDINANDE, qui primus huius nominis Augustos apices in Austriacos fastos iutulisti.

Obitus. *1564.*

Virtec. 5. *Semper bonos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.*

FER-

FERDINANDVS I.

Plausus.

Acclamator Orbis terrarum plaude
FERDINANDÆO nomini
nunc primum inter lauros, palmasque nascenti,
Et merenti triumphum,
Saltem plausum impende.
Nullum maius elogium plausu,
Qui encomium est triumphale.
Nemo expauescat ferro armatū FERDINANDI nomen:
Intus est aureum;
Sed armari debuit ferro bellatore,
Nomen multarum victoriarum parens.
Imò ferro nominis alchimia virtutis Austriacæ
In aurum mutato,
Ex ferreo FERDINANDÆO nomine
Prodeunt Imperatores aurei.
Adeò aureum est hoc, quod videtur ferreum, nomen
Ut sit tota Austriacorum nominum hæreditas
Cum Magni, & Catholici Auitis Titulis,
Ab Hispano Rege ad Austriacos Heroes Nepotes transcripta.
Fert etiam hoc nomen Austriacis
In ipso primæ literæ auspicatissimo etymo
Famam inclytam, Fortunam Augustam,
Felicitatem Cæsaream,
Fortitudinem Triumphalem,
Formam Heroicam, Fidem religiosissimam.
Ut semper orbis plaudat triumphali nomini
Implete Io omnes Cæsarum fastos
Et pretioso nomine
Aurea Io cudite sæcula FERDINANDI.

SY-

SYNOPSIS GENEALOGICA A FERDINANDO I. AD MAXIMILIANVM II.

FERDINANDI I. numerosa, & felicissima proles magnis nominibus Austrios annales illustrauit. Tot fuere Liberi Augustorum Parentum, quot ab astrologis in australi cælo astra censentur. Ista stellarum corona FERDINANDVS, supra Cæsaream radiauit, & regiam. Ex ANNA Iagellonica hoc ordine nati sunt.

MAXIMILIANVS II. Cæsar.
FERDINANDVS II. MAGNVS.
ELISABETHA IX.
CATHARINA IX.
ANNA V.
MARIA III.
MAGDALENA I.
ELEONORA II.
MARGARITA V.
IOANNES III.
BARBARA I.
VRSVLA I.
HELENA II.
IOANNA III.
CAROLVS II.

MAXIMILIANVS II. paternæ rei hæres Par fortunæ suæ Cæsaris, & MAXIMILIANI nomen pro dignitate sustinuit. FERDINANDVS II. Magnus Tyrolensiũ Princeps, Alsatiæ, Burgouiæ, aliorumq; principatuum Austriorum ad siluam nigram, CAROLO Cæsari in bello germanico strenuam nauauit operam, sicut & PATRI, cùm Prorex Bohemiæ illam administraret. ELISABETHA Sigismundo II. Poloniæ Regi nupsit. In hac Heroina dicunt formam cũ virtutibus de pulchritudine contendisse. Magnus vtrinque accessit alternantibus radijs splendor ex forma virtutibus, ex virtutibus formæ. CATHARINAM primæ nuptiæ Francisco Gonzagæ Mantuæ Duci, secundæ Poloniæ Regi iunxerunt. ANNAM in comitijs Ratisbonensibus Albertus cognomento Magnanimus Bauariæ Dux vxorem duxit, MARIAM Vuilhelmus Religiosus Bauarus, ELEONORAM Gullielmus Gonzaga Friderici ex Margarita Paleologa Marchionissa montisferrati filius, BARBARAM Alphonsus II. Ferrariæ Dux, IOANNAM Franciscus magnus Hetruriæ Dux. MAGDALENA in cænobio nouo Halę ad OEnum à se extructo, vota sponso Numini virginitate, sanctissimè vixit, literis omnibus, quibus fundata, Halensi academia vitam ac domicilium dedit prædicanda. VRSVLA vix salutata à limine vita ad cælum abijt Infans. Idem sortitus est fatum IOANNES in prima infantia decedens. MARGARITA, & HELENA dignam Heroinis Austriacis vitam traduxere.

CAROLVS Dux Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, & Goritiæ Comes, Austriaci stemmatis propagator, Princeps virtutum omnium numeris absolutissimus extitit, acerrimus hæreseos hostis, futurus etiam exterminator, si in alia tempora incidisset, & quod magnum est instar omnium elogiorum, ex Maria Bauara Alberti Magnanimi Bauariæ Ducis filia, FERDINANDI II. Pater, FERDINANDI III. nunc felicissimè in Solio Germanico Regnantis Auus, FERDINANDI IV. Hungariæ, & Bohemiæ auspicatissimi Regis, & MARIÆ ANNÆ Reginæ Hispaniarum potentissimę Proauus, Imperatricisque nunc totius familiæ, cui æuum gloriosissimum deuoueo, felicissimus Auctor. Hoc nomine non solum Septentrio, sed Oriens, Occidens, & Auster, totusq; orbis terrarum CAROLO multum debet, à quo habuit tantum felicitatis.

IMPE-



Fed. Agnellus sculpsit

IMPERATOR CÆSAR MAXIMILIANVS II.

PIVS, FELIX, AVGVSTVS, REX GERMANIÆ, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, ARCHIDVX AVSTRIÆ, DVX BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ, MarchioMorauię,Burgouię,& Lusatię, LAND. ALS., COMES HAVSP. TYR. &c.

NAscere fortunatissime MAXIMILIANE Herouм Sanguis auspicatò ad sceptra, & coronas: prodi in lucem de tuo fato, & famâ securus. Kalendæ Augustæ ad vitam simul, & Imperium vocant, illustraturum supra omnes Maiores Tuos, post natum in Hauspurgicâ Domo Germanicum Imperium, pluribus proximis imperatorijs titulis Austriacos factos, Filium FERDINANDI I. CAROLI V. maximi Fratris Filium, RODVLPHI II. & MATTHIÆ I. Patrem, FERDINANDI II. Patruum, magnorum nominum inter Austriades Cæsares. Antiquatâ veteri ludorum superstitione, & augustâ nomenclaturâ, quæ ex Senatusconsulto, ac Plebiscito ad perennem Octauiani Cæsaris auspiciorum, ac triumphorum gloriam sexto mensi adscripta est, nouâ institutione, & cognomenti imperatorij impositione idem sextus mensis inauguretur Augustus, MAXIMILIANI Austriaci Cæsaris natalibus initiatus. Et sanè ibunt posthac, redibuntq; kalendæ Augustæ non minus MAXIMILIANI Augusti, quàm Ianuariæ Titi, Decembres Neruæ, Nouembres

Oritur kal. Aug. 1528.

Adriani, Apriles Antonini, Februariæ Constantini natalitijs splendoribus, geminato veluti serenissimo Sole, illustres; vno deinde MAXIMILIANO, cum eius humeris Germanicum sedit Imperium, & moderationem Titi, & Neruæ clementiam, & Adriani æquitatem, & Antonini sapientiã, & Constantini fortitudinem, omnemque sparsum in alijs imperatoriarum virtutum numerum, in se colligente. Ipse quoque annus bonus Auspex MAXIMILIANO faustitatem præsagijt. Idem fertilis Heróum annus MAXIMILIANVM II. Cæsarem, ac PHILIPPVM II. Hispaniarum Monarcham maximum edit, alterum Septentrioni, alterum Occidenti orientem, tam æquis splendoribus, vt gemini Solis parelia dixisses in Austriaco cœlo. Alium deinde MAXIMILIANO Augusto natalem horoscopum ne quære: ipse MAXIMILIANVS, & PHILIPPVS fortunatissimi terrarum Dominatores de suo omnem, & sibi, & illi in Austriacá Domo struxerunt genituram felicitatis.

Prima militaria tyrocinia sub Carolo V. Cæs.

Prima ad omnem bellicam, tum militarem, tum imperatoriam virtutem rudimenta habuit sub Maximo Patruo CAROLO V. veluti sub Paulo Æmilio nouus Africanus, duobus equitum millibus Præfectus in bello Smalcaldico, vbi nobilis Tyro heroicæ fortitudinis documenta edidit, quibus possent adulti etiam, ac veterani Cæsares gloriari. A naturâ ita factus erat ad bellica decora, vt non videretur militari disciplinâ egere, ita tamen omni tractandorum armorum scientiæ animum adiecit, ac si nihil habuisset a naturâ, tantâ obedientiæ castrensis Religione, vt posset suis exemplis Imperatorem creare, imò ante dignitatem de suo pro dignitate imperare. Ad quem vero non ascendat imperatoriæ gloriæ apicem MAXIMILIANVS tot Heroum hæres, tot titulis ad Imperium natus, tot naturæ suffragijs electus, tantarum initiatus inauguratione virtutum, sub illius & Patrui, & laudatoris auspicijs, cuius exercitus videbatur mouere fortitudo, castris præfici prudentia, stipendia merere fortuna, felicitas bella conficere, manibus omne Cœlum non calidum tantùm Africanũ, sed frigidum Europæum palmas germinare, capiti omnis tellus in laureta syluescere, victorijs omnis Arx in Capitolium assurgere, classibus ipsa Æolia tota seruire, cui demum idem visum est viuere, & vincere, nisi quod cum in se viuere desijt, vincere cæpit CAROLVS in FERDINANDIS, & PHILIPPIS. Ingens erat vis non solum manibus CAROLI bellatoris, sed oculis spectatoris: fiebat aspectabilis miles ipso spectante, neque vnquam magis, quam tunc in sole pugnabatur. Sub Imperatore semper victore, nihil discere potuit MAXIMILIANVS, præter victorias. A bellicâ fortitudine ad ciuilem prudentiam traductus euocato a CAROLO Patre ad compescendos primos belgicos motus, prodromos illos ventos tot deinde procellarum PHILIPPO Rege, ne Hespero aliquo Austriaco careret Hesperia, qui Soli Austriadum splendidè succederet, Hispaniarum Regnis administrandis MAXIMILIANVS admouetur.

Nuptiæ cum Maria Austriaca.

Non amisit Hispania PHILIPPVM, sed mutauit, eâdem iustitiæ sanctitate MAXIMILIANO amplissima Regna moderante, & Promonarcham maximum agente grandibus summæ prudentiæ exemplis. Ibi bonis

nis

nis Auibus, vbi Aquilæ iunguntur Austriacæ, Iouis, nimirum potentissimæ Reginæ rerum felicitatis Ministræ fulminatrices, MARIAM II. Austriacam CAROLI Cæsaris Filiam, & PHILIPPI Regis Sororem vxorem duxit. Hac Heroinâ tibi MARIA ANNA ex parte cognomine, & in MARIÆ nomine, in Austriacis fastis felicissimo, Imperia præsignante, nulla fortasse omnium ætatum fœminarum pluribus, præter regios, imperatorijs titulis orbem terrarum nobilitauit, vt pote FRIDERICI IV. pacifici Abnepte, MAXIMILIANI I. Pronepte CAROLI V. maximi Filiâ, Nuru FERDINANDI I. Vxore MAXIMILIANI II. RVDOLPHI II. & MATTHIÆ I. Imperatorum Matre. His dotari debuit titulis MARIA, vt Par Pari MAXIMILIANO nuberet, impleretque hanc quoque coniugij felicitatem. Et sanè plures fortasse Austriaca hæc Imperatrix Cæsares in se coniunxit magnæ cognationis nexibus, quàm vlla post Romani Imperij natales Cæsares familia, si Austricam excipias, in suis fastis numerare possit. Quid à te MARIA ANNA expectandum erit, quæ Imperijs, quibus in MARIÆ nomine proludis, in ANNÆ nomine gratiam addis? An non expectanda aurea ætas, quâ Imperatrices Charites ex omnium virtutũ pacatis consilijs administrâ felicitate Orbem terrarum moderabantur?

Postquam æternitati sui nominis, & gloriæ Austriaci sanguinis abundè in Hispania MAXIMILIANVS consuluit, in Germaniam rediens, vbique noui sideris instar admirationem excitabat populis spectatoribus, lucemque inferebat. Inuictissimam, & pulcherrimam vincendi artem, quam à CAROLO Cæsare didicerat, Austriacis iam familiarem, statim sub paternis FERDINANDÆIS auspicijs exercuit. Ioannem Sigismundum Transiluaniæ Principem, Solymani clientem magnis barbaricis auxilijs Pannoniam inuadentem victum, fusumque retudit, non minori famâ, plausuque per orbem orthodoxum, quàm gloriâ. Visa est recurrere ad MAXIMILIANVM Pronepotem MAXIMILIANI I. felicitas. Illa enim sæpe, sicuti Sol cælestes, splendidas in terris domos, ijsdem recurrentibus virtutum aspectibus, non stellarum, pererrat. In huius vitæ Euripo bona, & mala fluunt, vt refluant, recurrunt vt abeant. Impleuit Maximus, MAXIMILIANI nomen, fecissetque illud suis gestis, nisi parentes vaticinati id quod futurum erat, præuertissent. *Dacica victoria.*

Victorem cum laureis, simul insertæ aureæ etiam coronæ excepere, prouinciarum pretio triumphalem honorem si non superante, saltem æquante. Vno vix exacto anno hæ imponuntur, Bohemiæ, & Hungariæ Regnis, ac totius Septentrionis Imperio graues. Hoc felicitatis prodigiũ nulli præter ALBERTVM II. honorificum Austriacum, & MAXIMILIANVM II. contigisse in historijs legitur. Sed omnia inusitata prodigia felicitatis iam solemnia dicas in Austriacâ familiâ. Eadem laude felicitatis post adoptatum Cæsaris nomen auctis Imperij viribus, dum Patruelis Monarcha maximus PHILIPPVS contra Batauos in Belgio, MAXIMILIANVS contra Turcas in Hungariâ acie decernit, gloriosissimis quidem bellis, sed nec ibi perduellione penitus subactâ, neque hic barbariâ penitus fugatâ, vt haberent Austriaci Heroes suam vtrobiq; semper *Inauguratur Rex Hungariæ Bohemiæ, & Romanorum. 1562. 1565.* *Bellum Turcicũ.*

gijs seruire, Imperatorio Augustali Athenęum oratoribus, Lycęum Philosophis, Poetis Parnassum, Areopagum iurisperitis magnificè apetiente, & laureatâ illâ Austriadum Herôum Domo omnis generis laureas progenninante. Ita reuocatum est aureum literarum sęculum, quod olim à primis Iuliæ familiæ Cæsaribus per Flauiam, & Æliam, præter Oratores, ac Poetas, Philosophos quoque Imperatores habuit in Antonino, nisi velis etiam superatum ab hoc Austriaco sæculo, quo imperantibus MAXIMILIANIS, FERDINANDIS, RODVLPHO ac MATTHIA, auspicatissimis reipublicæ literarię nominibus inueniri etiam potuerũt Mecęnates in Augustis. Alchimiâ hac innocenti liberalitatis vti Principes pro arbitrio possunt, & ferrea liquare sæcula, & aurea cudere. Illud etiam à MAXIMILIANO I. hæreditarium decus habuit II, vt & multarum linguarũ peritiâ OMNI-LINGVIS diceretur, & Austriacus Mithridates. Commendauit hoc decus, addiditq; pretium prudenti, quod etiam de CAROLO V. Patruo celebratur, eloquentię ipsius regiæ dispensatione, ita vt instar polyphonæ cytharæ discordi concordiâ attemperatæ officiorum blanda molliter Gallus dictitaret, colloquiorum seria grauiter Italus pronunciaret, imperiorum grandia magnificè iactaret Hispanus, minarum aspera furiosè Germanus ebulliret. Ita tamen eloquens erat MAXIMILIANVS, vt ad suasionem bonorum morum, nulla indigeret eloquentiâ, illos enim à Personâ suâ suadebat etiam cùm taceret: ita OMNI-LINGVIS, vt nec bilinguis esset, synceritatis Augustæ sole nullam maculam admittente, ne quidem leuissimam. Hosce Hermathenas sapientiæ, & fortitudinis monstra, conflatos ex Pallade, & Mercurio Principes armorum, & litterarum gloriâ immortales, ac propè Diuinos, non Africa, sed Austria parit.

Omni linguis dictus a linguarũ peritia.

MA-

MAXIMILIANVS II.

Genethliacon.

MAXIMILIANVS II. Kalendis Augusti nascitur
Eodem, quo PHILIPPVS II. Monarcha Hisp., anno.
Hanc breuem historicam Epygraphem genethliacon puta
Augusto nascenti.
Et dies natalis, & mensis, & annus muti Oratores
Panegyricum sibi diuident.
Augur adulti Solis Aurora,
Eloquitur roseo ore totius diei vitam.
Eadem Kalendæ ad imperium simul vocant, & vitam.
Etiamsi nulla de cælo astra arrideant,
Ipse natalitius dies nunc primùm horoscopus fortunatissimus
Esse Heroi nascenti potest.
Qui MAXIMILIANVM ederet è sui nominis etymo
Quod habet in fastis, & quod dabit factis maximum,
Imperatorijs quinque consanguineis titulis,
Supra omnium antè Cæsarum fortunam, coronatum,
Esse debuit mensis Imperator.
Etiam citra Octauiani triumphos
A solo ortu MAXIMILIANI
Sextus Mensis indigitetur Augustus,
Nec ludi Circenses, vt Cæsari,
Sed Olympij vt Heroi instituantur.
Non impar Augusto mensi
Annus genitor auspicium tulit.
Fertilis Heroum
Gemini Solis parelia dedit,
MAXIMILIANI, & PHILIPPI.
Vterque tamen magnis splendoribus
Semel ortus, nunquam occidet,

Imò

Imò alter alteri fulgebit
Ortu simul, & immortalitate, coæuus,
Et geminum simul hemisphærium
Uterque illustrabit.
Hisce auspicijs MAXIMILIANUS II. nascitur.
O felices Heroas Austriacos!.
Qui fastis illos inscribit, dies, mensis, annus, natalis,
Genethliacon est,
Et ingens summæ felicitatis elogium.

SYNOPSIS GENEALOGICA
A MAXIMILIANO II.
AD RODVLPHVM II.

HÆreditaria à FERDINANDO Patre ad MAXIMILIANVM Filium transcripta est prolis fæcunditas, vnde etiam ipse quindecim liberorum corona supra imperatoriam, ac regias donatus est, quos reliquit Hæredes Sanguinis, Vindices nominis, potentiæ Assertores. Hoc ordine recensiti inueniuntur.

RVDOLPHVS inter Principes Austriacos VI. inter Imperatores II.
ANNA VI.
FERDINANDVS IV.
ERNESTVS II.
ELISABETHA X.
MARIA IV.
MATTHIAS I. Cæsar.
MAXIMILIANVS III.
ALBERTVS VII.
VVENCESLAVS I.
FRIDERICVS VII.
MARIA V.
CAROLVS IV.
MARGARITA VII.
ELEONORA IV.

RVDOLPHO, adhùc viuente Patre MIXIMILIANO, communicatum fuit Imperium, iam tum æquissimas vires ad tantum pondus dignitatis afferenti, quod postea summa cum gloria domi, forisque sustinuit. ANNAM Philippo II. sororis MARIÆ Filiam, eo vinculo cognationis eidem illigatam, quo tu MARIA ANNA potentissima Hispaniarum Regina PHILIPPO IV. maximo coniugaris, MAXIMILIANVS parens matrimonio iunxit. FERDINANDVM IV. vix natum cum magni nominis auspicijs, celum ad se rapuit. ERNESTVS in Aula Hispanica

Hiſpanica educatus fuit, tum gymnaſio regnatricis prudentiæ, & omnium Reginæ huic, ancillantium virtutum, apud PHILIPPVM II. de quo cùm regnaret illud cani poterat citra adulationis poeticæ notam.

Similem quæ pertulit ætas
Conſilio vel Marte virum? nunc Brutus amaret
Viuere ſub Regno, tali ſuccumberet Aula,
Fabricius, cuperent ipſi ſeruire Catones.

A Sixto V. Inſignibus deinde Eccleſiæ Propugnatoris Viennę decoratus, dum nitebatur Belgicas prouincias Hiſpano Monarchæ reconciliare, morte inuidente tanti facinoris gloriam, in ipſo conatu ſuſtulit, à quo maximè etiam laudari meruit. ELISABETHA Carolo IX. Galliarum Regi nupſit, & eo mortuo in Viennenſi Clariſſarum Cœnobio vitam regia è cælo ſpectantibus traduxit clariorem. MARIA translata eſt ab incunabulis ad feretrum.

MATTHIAS Cæſar Rudolpho fratri Hæres in Imperio è Cœlo deſtinatus optimis moribus, qui firmamenta regnorum ſunt, ſolium firmauit.

MAXIMILIANVS magnus magiſter ſacræ militiæ Theutonicorum Equitum, Rex Poloniæ electus, potentiori factione pro SIGISMVNDO Sueco religioſiſſimo alioquin & fortiſſimo Rege ſtante, adnitente præſertim magno Regni cancellario Zamoſcio cedere coactus eſt. Fuit acerrimus orthodoxæ Religionis vindex, & hæreſeos hoſtis. Multis prælijs claruit, præſertim Turcicis in Hungaria, gloriamque Auſtriaci Sanguinis propagauit.

ALBERTVS Burgundionum, ac Belgarum Princeps, prudentiæ, ac fortitudinis laude, magni Principis ſibi famam conciliauit, ſed præcipuè ob reiectum ſumma moderatione fraternum Imperium in FERDINANDVM II. Pium, Maximum deinde translatum. Ille adoptatus eſt princeps, quem propter ſuas virtutes omnes populi optare poterant. Huic, & MAXIMILIANO debet imperium FERDINANDVM II. & in eo ſuam felicitatem. VVENCESLAVS I. Eques Militenſis in flore ætatis contabeſcens, mortem oppetijt. FRIDERICVM VII. adhuc lactentem vis morbi immaturum ab vberibus nutricis abſtraxit. Idem fatum ſortiti ſunt CAROLVS MARIA, & ELEONORA. MARGARITA auerſata mortales ſponſos lilia virginitatis hymenæi roſis præferens, Dei Filio nupſit in Parthenone regio, Diſcalceatarum Mantuæ Carpentanorum, mundoque valere iuſſo, & calcato, cæleſtia propius ſpectare cæpit, & facere, omnium virtutum in tam ſeuera vitæ inſtitutione, exemplar.

IMPE-


NEC METAS RE
RVM NEC TEMPO
ISEGO
RA PONO
IMPERATOR CÆSAR RVDOLPHVS II. PIVS FELIX AVGVSTVS.
CAR.V. MAX
FRID. IIII PACIFI
ALB. II. HONORIF.
FERD.I
RVD.II
MATIAS.I
FERD.III
PL VS VL TRA

IMPERATOR CÆSAR
RVDOLPHVS II.
PIVS, FELIX, AVGVSTVS,
REX GERMANIÆ
HVNGARIÆ, BOHEMIÆ,
ARCHIDVX AVSTRIÆ
DVX BVRGVNDIÆ, STIRIÆ,
CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ,
PRINCEPS SVEVIÆ
Marchio Morauię, Lusatię, Burgouię,
LANDGRAVIVS ALSATIÆ,
COMES HAVSPVRGI, TYROLIS &c.

ARrideat Austria amico vocabulo, & Nomini Principi, in primo Austriaci Imperij Conditore, aeremque, dum profertur RVDOLPHVS motum, in plausum erudiat. RVDOLPHVM II., quem tibi Regina tuis, ac Tuorum titulis Clarissima in Dotale Auspicium Augustissimorum Regiorum Infantium exhibeo, siue æstimes magnum in RVDOLPHÆO Nomine, à quo in maximam Gentilitatem tuam, velut à fonte cælesti deriuatur illa immensitas glorię, quæ nunc cum vtroque Sole rerum Domina irradiat, siue numeres secundum, magnis, secundisque Auspicijs, attigisse fastigium dignitatis, tibique, atque illi, quam tu dederis, Coronatæ Posteritati prolusisse iudicabis. In Aula Hispanicâ *Eius ortus an. 1552. 18. Iul.*

In Aula quatuor iam Austriadum Principum ad prudentiam scholâ CAROLI V.
Phil. II. PHILIPPI I. FERDINANDI I. MAXIMILIANI II. legibus, æquè,
educatur ac moribus PHILIPPI II. Maximi Hispani Monarchæ ad omnem Heroicæ virtutis formam institutus est,

Cl. de b. *Vt nouus Imperio iam tunc assuesceret hæres.*
c. Hon. Habuit PHILIPPÆA exempla, & monita, quibus Alexander euaderet, & magnus, cùm nec alioquin deessent, qui humaniorum, ac seueriorum Musarum arcana, atque ipsa Aristotelica placita insinuarent Principi, ad omnem literarum felicitatem nato. Certè PHILIPPO, cuius Gigantæa etiam paruulus Ephebus RVDOLPHVS obseruabat, inibatque vestigia, nec leges prudentiæ tulit Lycurgus sapientius, nec dedit iura sanctitatis religiosius Numa, nec omnes solidæ politiæ in administrandâ Republicâ numeros magnificentius Cyrus impleuit. Maiora legebat RVDOLPHVS in PHILIPPO, quàm quæ Romana historia superbè vulgare, aut græca poesis cantare potuit gloriosè. Omnis prudentiæ Idea esse verbis videbatur, cum loqueretur, & Legislator exemplis etiam cùm taceret. Hinc Hispana Aula Pentathlos supra Spartanorum gymnasiorum exempla robustiores, & Iudices supra Atheniensiũ Areopagorũ leges æquiores, proferebat. Interim RVDOLPHVS non ad imperata difficilis, vt alijs benè imperaret, cùm sciret ipsam imperandi artem parendo disci, potuit esse alijs schola, vbi Hispani Proceres etiam Institutores plura discerent, quàm docerent.

In Germaniam reuersus populis omnibus sui desiderium peperit; quasi beata futura esset illa Respublica, cui ex alto Imperij vertice RVDOLPHVS ad PHILIPPI II. Colossæum exemplar nobili magisterio formatus, belli, pacisque Arbiter nutu suo prospiceret. Arbitrabantur enim id, quod erat, Germanum RVDOLPHI candorem Hispaniensis disciplinæ sub PHILIPPI Auspicijs splendore illustratum, veluti sidus Soli, Cælestis loci viciniâ coniunctum, vim intendisse beneficam, quam de sublimi Solio, tamquam de Cælo, mortalibus inspiraret. Eadem itaque prudentia mutata Hispanâ cathedrâ in Germanicum Solium, è Magistrâ Regum, Regnatrix populorum, maturatâ consiliorum grandium
1572. canitie RVDOLPHVM adhuc adolescentem sceptris, coronisque ma-
29. Sept. turum exhibuit. Hinc à Pannonijs Possonij magnificentissimâ pompâ, ac penè triumphali excepto Hungarici Regni fasces deferuntur, cum ingenti spe non solum frangẽdi, conterendiq; Othomannici iugi, sed barbari Prædonis à Regno prorsus auertendi. Eodem cursu felicitatis paulò post
1573. Cæsurgi Bohemi Proceres oblato cum Insignibus Regijs Principatu, in
21. Sept. sublimi rerum apice administrandæ Reipublicæ imponunt. Inde ad nu-
Hung. sceptro Bohē. et Cæs. inauguratur. meros imperatorios perueniens, quos calculi Septemuirales exigunt, Augustæ Vindelicorum, vtriusque ordinis Principum sententijs, Rex Romanorum pronunciatur, & in ijs Comitijs Ratisbonensibus, in quibus MA-
1575. XIMILIANVS II. Parens fatis cesserat, in Cæsaris Nomine, & Imperio
1578. succedit. Imperator statim ita fortunatorum honorum molem suâ virtute sustinuit, impleuitque Maiestatem, vt qui nihil fecerat, vt imperaret, omnia tamen exhiberet, ex quibus dudum imperare debuerat.

Admi-

Admirationi fuit admotum Orbis regendi gubernaculis inter horribiles turbulentissimorum temporum procellas, dum fremeret Belgium apertâ perduellione, mugiret Germania publicâ hæresi, atque Aquilonares turbines conceptis fulminibus vbique tonarent, & iam vastitatem Imperio parturirent, ita velificatum esse secundissimis auris, vt dici potuerit Austriacum Imperium ab vno RVDOLPHO magnâ fortitudine conditum feliciter fuisse, ab altero magnâ prudentiâ constanter seruatum, pari tamen laude, cùm in instituendo Regno summa virium potentia, in conseruando summa consiliorum requiratur auctoritas, imò & fortasse maiori, quia

Admirabilis eius Prudentia.

Plus est seruasse repertum
Quam quæsisse nouum.

Cl. l. 3. de l. st.

Post assertos in libertatem Legatos Sarmatas, vt bifrons prudentia vtrumque vultum ostenderet beneficum, & vindicem, pacatum, & bellatorem, Aquisgranenses tumultus sæpius excitatos, partim vi armorum, partim reuerentiâ Maiestatis componit. Eadem prouidentiâ Imperium ab externis hostibus tutaturus Carolipolim in Illyrico erigit munitissimũ aduersus Turcicas incursiones propugnaculum. Aut cauendum Principi in omnibus est, aut cadendum. Argi sint, non pecudum pastores, sed populorum: illas Polyphemus, non vnoculus tantum, sed cæcus regebat: his vix centum oculis vigil prospicias. Illud autem pietatis etiam lauream meruit cum Ghebardum Truchsesium Septemuirum Coloniensem, Infulatum *Apostatam* Romani Pontificis sententiâ exauctoratum, execrandum Sacerdotem, Sacræ Deo Virginis ignominiosis amoribus irretitum & sacrilegum hymenæum meditantem, fecisse contra christianam Rempublicam, & Romanum Imperium RVDOLPHVS pronunciauit, nec solùm à Septemuirali Collegio, sed & ab Imperij finibus proscripsit; vnde in Batauiam fugam inire coactus est, vbi perduellio, hęresis, & impietas inferna monstra, & hac tempestate nostrates Eumenides omnia humani, ac diuini iuris repagula fregerant. Felix Respublica, in quâ ex magnis pręmijs habet, quod impensè amet virtus, & ex magnis pęnis, quod non frigidè timeat scelus. Ipse penę modus iustissimus fuit, vt qui ius sacrum, quo se Deo obligauerat, prophanus Mysta violarat, vitâ indignus, saltem vitâ spoliaretur, futurus monstrum hominis galeatus, non mitratus Antistes.

1582.

Pacatis rebus, & ęquatis, Germanię ferè semper, veluti Oceani rebellantis fluctibus, Othomannica Luna prius reciprocantis ęstus aduersus Cęsaream, quam vehebat RVDOLPHVS fortunam agitatrix, tum tempestatum parens, ferrugineo vultu funestissimum belli turbinem excitauit, vndantibus per Croatiam turmis, legionibusque innumeris, tamquã procellis armata. Non solùm enim quidquid barbarię Euxina Litora ambiunt, alluitque Męotis palus, sed quidquid ferinum sub humanis vultibus Getulia, atque Hyrcania, & durator corporum inhospitalis Caucasus, inaccessusque Imaus nutrit, longè, latèq; effunditur. Primo impetu Visicum Croatię caput, aliaque ignobilioris nominis loca vi Turcica expugnantur, maiori famâ, quàm gloriâ. Sed procella, fulminatrix tot sagit-

Bellum Turcicũ cum insignibus victorijs.

tis armata lethalibus, paulò post detonuit, nouæque ferè inustę sunt maculę Othomannicæ Lunę, quæ lumen si non extinguerent, saltem turpem in modum obscurarent. Enimverò dum obsidetur Sisacum totius Oriẽtis viribus, Croatiæ Prętor cum aliquibus Hungarorum militum reliquijs, ingentem barbarorum exercitum prodigiosâ victoriâ fudit, fugauit, ac ferè deleuit, aquis vicini fluminis mergentibus eos, quibus missiles maiorum bombardarum, minorumque, igneæ mortes pepercerant, ereptos instanti ferro hostes cędens, simulque in ipso victorię loco tumulans. Pauci obiecti sunt, sed viri, renouatis legionis fulminatricis sub Antonio Pio prodigijs. Vbi sunt trecenti Lacones, siue vt melius dicam sub Leonide Duce Spartani Leones, qui non se numerant, sed æstimant! Inuentæ sunt Thermopylæ, quæ victorem contra numerosissimas copias, non pulchrâ cæde commorientem victoriæ, sed superstitem videre. Erubuit primùm ad Turcicum sanguinem flumen, quasi fædatum impurâ sanie barbarorũ, tum ad cadentium naufragia indignabundum strue infelicium cadauerum secundo cursui aduersante, ita exaggerauit vndarum vortices, vt vno ferè hiatu magnam Turcici exercitus partem absorbuerit. Miraculi loco prędicatum est plura victa fuisse ad internecionem barbarorum millia, quàm extinctos milites Cæsaris, cùm de sexaginta Turcarum chiliadibus, quinquaginta militum iacturâ Cęsar triumpharit. Quid amplius desiderari poterat, si non Romanum Imperium milites, sed tot Coclites Roma misisset? Inter cęsos magna nomina Turcarum numerata sunt, Hazanes violati fœderis auctor & Mahumetes magni ipsius Sulthani sororis filius, cum duodecim alijs purpuratis Prouinciarum Pręfectis. Excita victorię famâ Hungaria MAXIMILIANO Archiduce summo Cęsariani exercitus Ductore Nouigrado, Zabaticâ, Fileco, Deniniâ à Turcicâ triginta annorum seruitute liberatis, luculentis cladibus ita barbarum Prædonẽ affecit, vt spes esset totius Regni in pristinam libertatem reuocandi. Sed magnificas spes tot victorijs laureatas vnius perfidia elisit. Nam Sinan Amurathis Othomannici Tyranni Prętor cum amplissimis copijs Hungariam ingressus, Iauarinum, quod ferro perdere non potuit, auro proditum occupauit. Ita sępe ignauum Orientis aurũ ferro bellatori Occidẽtis illusit, & infidelitas barbarorum, armata Christianorum perfidiâ triumphauit. Eodem tamen in potestatem Cæsaris redacto detersit
1595. perfidię maculam fides Comitis Adolphi Schuuatembergij, qui prodigiosâ deinde felicitate paruâ militum manu immensam Turcici exercitus vim, ac molem prostrauit. Inde icto fœdere cum Sigismundo Battoreo Transiluaniæ, ac Vvalachię Principe, qui cum vinculum cognationis erat, ex MARIA CHRISTIERNA Archiducis, CAROLI filiâ, & FERDINANDI II. Cęsaris sorore, alijsque Germaniæ Regulis tantâ, & cõtentione, & consensione animorum itum est aduersus immanissimum Orthodoxę Religionis hostẽ, vt proximis Euxino mari munitionibus expugnatis ipsa Constantinopolis Regia Imperij Orientalis sedes, amissâ sui nominis constantiâ, ferè contremuerit. Eodem tempore à Cęsariano milite Iauarinum, Vesprinium, Strigonium, Hattuanum, Alba Regalis, alięque magni nominis arces in Hungariâ, Dalmatiâ, & Croatiâ, fortiter

titer recuperantur,& Varadinũ aduersus centum quadraginta barbarorũ millia constantissimè defenditur, Italiâ etiam pręter Germaniam feliciter in summis Ducibus Ioanne Mediceo,& Vincentio Gonzaga Austriacis stipendijs militante. 1598.

Hisce victorijs fractis Orientis viribus,& ipsis Othomannicis hostibus timeri desitis, Acomathes Sulthanus ad inducias vicennales descendit. Liberato tumultibus indigenis, & peregrinis incursionibus Germanico Regno, ad pacis artes, principales curas conuertit. Summâ apud omnes Europæ, atque Orthodoxi Orbis Principes prudentiæ famâ valuit, hoc nomine ab ipso Mahemete Hodabende, Persarum Sopho,& Monarcha splendidissimis legationibus, & pretiosissimis donarijs excultus. Hinc dictũ est de hoc Romani Imperij Occidentalis Imperatore,quod olim peruulgato, siue adagio, siue elogio,de Romanis prædicabatur *sedendo vincere* ERNESTI, MATTHIÆ, MAXIMILIANI fratrum, & LEOPOLDI patruelis Archiducum Austriadum manibus recisâ lauro triumphali, quæ RVDOLPHI capiti imponebatur, à quo momenta victoriarum prodierant. Vtcumque magnam virtutem Germania in manibus, maiorem tamen sensit in capite. Non minores sunt ictus scepti, quam gladij, si non geratur tantùm, sed regatur, & veluti amentatum telum eminus etiam aduersus hostes fulminet. Robore victor impotens: prudentiâ moderatus vincit, & quidem gloriosius, cùm non amittunt decus suum laureæ virides, aureæque palmæ, cruoris sanie, ac tabo fœdatæ. Hac arte prudentia naturę victrix *Longimanos* omnes reges facit,quòcumque consilia operosa pertingunt. Hęc etiam est grandis ille spiritus legum, armorumque potens, quo Reipublicę vita diutissimè producitur, cùm Bellona in Palatino Senatu prius trabeam gerit, quam chlamydem in castrensi, placidis etiam si opus est placitis, curiâ castris imperante, ac togâ sago superinductâ. Ille sapit Princeps, qui ex multorum consilijs deliberationem fabricat, sed suam, & eâdem domi, forisque, toti Regno prospicit. Summæ prudentiæ fuit ne quidem in nummis, ne dum in hominibus impunita adulteria pati. Omnem totius Germaniæ pecuniam adulteratam, quando adulteram manum inuenire non potuit, & sceleris auctores, igni damnauit, iussitque nouam cudi castæ, & syncerae fidei, sciens nimis etiam auro innocenti, ne dum scelerato peccari, & ab hominibus pretiosi metalli idololatris, nescio quid falsi numinis in nummo etiam informi adorari. Eiusdem laudis apicem est assequutus cum Ratisbonensis claues Vrbis in arrham fidei deferentibus ipsis ciuibus reddidit, amorem copiosius colligens clementi consilio, stabiliensque firmius Principem, vbi illum cum Patre misceret. 1606.

Eius Aula, quod etiam Imperatrici in RVDOLPHO prudentiæ adscribi debet, omnibus scientijs Musæum aperuit, in quo flos Germanicæ nobilitatis omni laurearum literariarum genere vernabat. Hanc hereditatem habuit à MAXIMILIANO Abauo per MAXIMILIANVM Patrem ad se transmissam, vt in vtrâque lauro radiaret, bellicâ atque literariâ, haberetque Prætorianos non minus sapientes, quàm milites. Astronomi præsertim, ac Geometrę, omnesque Matheseos cultores in *Literatorum Patron Cæs. maximè mathematicorum.*

RVDOL-

RVDOLPHÆA Regiâ suum Cælum, ac terras repererunt; sed illud serenum semper supra regiorum titulorum serenitatem, & has aureas, citra fabulas, Midæ manu excultas, Iouis pluuiâ irrigatas, totoque Hermi alueo inundantis interlitas, Imperatore nimirum luculentâ beneuolentiâ, beneficentiâque omnem Mathematicorum nationem fouente, fauenteque stipendijs non vulgaribus. Sæpius triumphis, & annis grauis non dedignatus est in puluerem Mathematicum veluti Imperatorium descendere, & Reginâ manu virgas geographicas, radiosque astronomicos, sceptra sapientiæ, terræ, Cæloque dominantis circumducere, vtriusque fines metari, & innocentem stellarum exercitum in suos ordines distribuere, Regno mutato, non amisso. Ita factitatum etiam legimus à Patruo Magno CAROLO, præsertim cùm deposito ex humeris terrarum orbe, calcatisque omnibus supra suam ipsam magnitudinem Cælo finitimus stetit. Sed dum Astrologi in RVDOLPHO beneuolo semper, ac benefico sidere maiores, minoresque fortunas, quas in Cælo fingunt, & dum in vnâ Cæsaris Regiâ omnium Celestium domorum auspicatissimos horoscopos sortiuntur, veram mortē mendacibus coniecturis Cæsari pepererunt, vt posset Magistro historicorum subscribi, *genus Mathematicorū potentibus infidū esse* dicenti. *Tac. li. 1. hist.* Nam venalissimis istis fatorum venditoribus mortem coronato RVDOLPHI capiti à Religioso viro, ex astrorum monitu impendere prædicentibus, metu ipsius mortis oppressus est Imperator, immortalitate dignissimus, cùm auersaretur eius pietas vicini Asceterij, vnde timebatur, euersionem, quam impij homines suadebant. Ita vanissima non tantùm, sed sæuissima Astrologorum natio sæpius innocentissima sidera, vt cometas armat, producto feciali crine, iterum vt collubitum fuerit detonsura Cæsariem ipsorum Cæsarum fulminatricem, cogitque liberam stellarum dominantium Rempublicam suis arbitrijs miserè ancillari. Hęc vitæ clausula vltima demonstrat in RVDOLPHO, adolescente, & viro, robustiorem fuisse prudentiam, quod ipse etiā moriens testatus est, quàm in sene, licet vbique fuerit in illo rerum moderatrix, fortunę temperatrix, casuum omnium patiens, ac totius vitæ Imperatricis magistra. *Obitus an. 1611. 31. Dec.*

RVDOLPHI nomen literis, sæculisque omnibus charissimum, sicuti cum Magni cognomento natum est in Austriaca Domo, ita nec sine illo renatum. Habuit Austriaca Domus, habebitque semper suos Hercules Musagetes orbis triumphatores, & Musarum patronos, custodesque, qui in sui laudem omnia scientiarum, quas alunt augustâ liberalitate, ora relaxabunt. Hęc Austriaca laus tibi in magnam dotem cessit MARIA ANNA ex Paterno Patrimonio, & Maternâ Hęreditate, vt sis Clementissima scientiarum omnium Patrona. Non euehunt cycni canoris plausibus ad Cælum magna Nomina, nisi ipsos benigna aura vehat, ac sustentet, & fauor Principum pro fauonio sit. Hos expectamus ex te, & PHILIPPO ALEXANDROS eâdem triumphali dexterâ Martis fulmen, & Homeri codicem stringentes, literatorumq; ac Militum Reges.

RVDOLPHVS II.

Encomium.

Nullum RUDOLPHO Cæsari maius encomium esse potest
Ipso RODULPHI nomine.
Huius Nominis gloria semper eadem in Austriadum fastis,
Aut conditorem inscribit Imperij, aut conseruatorem,
Utrumque diuerso titulo Magnum,
Sed iure æquali;
Cum gemellæ sint Regnorum Hæredes, & Parentes,
Fortitudo, & Prudentia.
Ita natus est Imperator RUDOLPHUS II.
Ut potuerit cum primo fortiter parere Imperium.
Ità peperit primus,
Ut potuerit cum secundo adultum prudenter seruare.
Imò vterque primus, & secundus fuit;
Nam primus dum Imperium condidit
Felicitate secundus fuit:
Secundus, dum Principe Prudentia seruauit,
Inter omnes primas tenuit.
Ille dedit, vt nasceretur:
Hic, vt nunquam moreretur Austriaca potentia:
Ille Cæsar conditione naturæ:
Hic Augustus fuit vitæ ratione.
Aeque gloriosum est
Alexandri ense, & Oedipi voce
Regnorum nodos soluere,
Achillis manu vincere, & Nestoris lingua.
Hoc vno RUDOLPHI differunt
Quod primus solus Imperium condidit:
Communi cum pluribus secundus gloria seruauit.
In Austriaco Imperio, sicut in Cælo,

Ubi

Ubi Imperium est lucis
Post Solem Principem, & solum
Æternum sequitur innumerabilium Astrorum firmamentũ.

SYNOPSIS GENEALOGICA.

A RVDOLPHO II.

AD MATTHIAM.

CVM Regiæ Sponsæ vndique ambirent Cæsareos hymeneos Cœlo CAROLI Archiducis Piæ Proli Germanici Regni fasces destinante, Cælibem vitam Rudolphus egit, obijtque. cum Matthias Frater iam Rex Hungariæ, & Bohemiæ ad Augustum solium initiatus, ac propemodum inauguratus esset. Sine liberis tamen decedens Patris dulce nomen audiuit à populis, præsertim ijs, quos liberos fecerat ab Othomannico iugo. Summa prudentiæ fama regnauit, nec mirum; nam & ipse sub PHILIPPO II. Monarcha, suæ ætatis Solone, cuius verba pro legibus prudentiæ regnatricis, monita pro oraculis Principum, ac tot Regia documenta erant, quot gesta, Imperij fundamenta posuit, ac sub Hispano cœlo, spiritum hausit populorum Dominatorem. PHILIPPVS Princeps prudentissimus Principem erudijt, magisterio Augustiorum virtutum, docuitque prima elementa artis regnandi legere, optimi formare characterem Imperij, & ephebum RVDOLPHVM in illam, quam deinde omnes suspexerunt, boni Imperatoris effigiem, artifice prudentia manuduxit.

RVDOLPHI II. sicuti aliorũ Magnorum Austriadum beneficio plures deductæ in Germaniam è Græcia, Latioque, humaniorum, ac seueriorum Musarum Coloniæ vbique lauros educant magnarum præmia frontium. Iam non vnam Regiam in celeberrimis Ephebęis sapientia sub Trionibus Austria Imperante fixit. Felicitatẽ suam debet Austriacis non vniuersa tantùm hominum, sed literarum Respublica. Instauratum omnium disciplinarum splendorem in MAXIMILIANO I. ac FERDINANDO I. magnis Imperatoribus prædicat, ALBERTVM III. celebrat nobilissimę Acadamię Viennensis Institutorem, ALBERTVM VII. Friburgensis, MAXIMILIANVM III. Ænipontanę Cęsaris MAXIMILIANI II. Filium, CAROLVM FERDINANDI I. Cęsaris Filium, FERDINANDVM II. Pium Cęsarem tuum Regina potentissima maximum Auum, & magnos Patruos LEOPOLDVM, & CAROLVM plurium Academiarum conditores. Demum ne ab hac Austriadum Heroum laude Heroides Austrię excludantur, literę omnes, quousque viuent MAGDALENAM Austriacam FERDINANDI I. Cęsaris Filiam summis ad Cœlum laudibus efferent, cui accepta referunt in Halensi Academia vitam, natales, ac perennitatem. Fratris successioni in Imperio visus est RVDOLPHVS proludere, ipso ortu, sub Geminis natus, iterum post CAROLVM, & FERDINANDVM, in Austriaco Cœlo in RVDOLPHO, & MATTHIA radiantibus, salutaribus, ac beneficis Orbi terrarum Fraternis Astris.

IMPE-



Agnellus sculpsit

IMPERATOR CÆSAR
MATTHIAS
PIVS, FELIX, AVGVSTVS,
REX GERMANIÆ,
HVNGARIÆ BOHEMIÆ,
ARCHIDVX AVSTRIÆ
DVX BVRGVNDIÆ, STIRIÆ,
CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ,
PRINCEPS SVEVIÆ,
Marchio Morauiæ, Lusatiæ, Burgouiæ,
LANDGRAVIVS ALSATIÆ,
COMES HAVSPVRG. TYROLIS &c.

INitia huius ferrei sæculi aurea fuere reuocante MATTHIÆ iustitiâ Imperatrice Astręam,& Charites è Cœlo, omniumq; virtutum nobilem fugitiuam familiam, & terræ redonante, quæ lætata est reuerso.

Numine quod primi post sæcula perdidit auri. (*Cl. de m. cons.*)

Media, tu MARIA ANNA, ac finem beabis, cuius auspicatissimo nomine inauguratæ cum Astræâ Charites,virtutesq; omnes regnabunt. Interim iure omnes laudent Cæsarem iustitiæ amatorem, cui tunc maximè laudes debentur, cùm de propriâ iustitiæ causâ agitur. Et certè cum Orbis terrarum habenis, Sceptroq; Germanico tàm rectas sustinuit recti lances, vt nec potuerit aura populorum, res omnium leuissima constantem dexte-

Iustitia laus Matthiæ Cæs. potissimũ attributa.

S ram

ram extollere, nec deprimere aurum omniû grauissimum, cùm nihil apud ipsum in pretio esset, honesto collatum.

Eâ die natus est, quam magnus Patruus CAROLVS multis antè annis suis natalibus illustrarat, vt in CAROLI lucem editus videretur, & diem,
1556. 24. Feb. ex hæreditariâ Auorum gloriâ, prorsus suam. Apagite Astrologi infra homines diuini, Aristocraticæ siderum Reipublicæ falsi, fallacesq; præcones, periuri fortunæ institores, & in bono cœli lumine splendidè mendaces tenebriones. Illustris cælestium Scientia nihil vobis præter tenebras ingerit, noctes geminans miserè vigilatas. Nihil è Cælo ediscitis præter illius errores, nihil contrahitis, præter illius vertiginem. Commentitia sunt illa sideralia fata, quæ in cælestium orbium voluminibus tàm claris alioquin, & aureis caracteribus signatis, totoq; illo splendido Diuinæ Prouidentiæ cõmentario legitis. Nullũ MATTHIÆ Horoscopũ felicitatis statuo præter CAROLVM illius diei, quâ natus est, illustrissimum sidus, ac fortunatissimum in Austriacâ Domo. Et certè eandem, ac CAROLVS, MATTHIAS sortitus est non felicitèr tantùm nascendo, sed fortiter viuendo nobilem vitæ geniturám, imò & immortalitatem, cum eodem aspectu virtutum, cursu gloriæ, splendore nominis, motu, stationeq; consiliorum. Sed propior fuit MATTHIÆ ortus CAROLI morti, quàm natalibus, intra annum, cùm iam supra mundum, iactumq; fortunæ tonantis, ac fulminatricis frementis ad pedes toto vertice esset, & in Olympo viueret, cœlum intrantis.

Horoscopus Matthia nascenti non tamen ex inanijs Astrologorũ, datus.

Iam tunc Numen prouidebat Imperio, ac Nomini Austriaco alterum CAROLVM, vt Heroum Austriadum propago, supra omnes Imperatorias familias ad Orbis terrarum felicitatem sobolesceret, & vno auulso alter germinaret aureus ramus in arbore Austriæ Gentis florentissimâ. Auspicatò etiam aliqui inditum MATTHIÆ nomen censuerunt, siuè à sorte Augusti Nominis, & Imperij Occidentis, quæ è Numinis sinu, in quo omnes mortalium sortes versantur, in MATTHIAM lapsura erat, non septem Cœli, sed Imperij Planetis electoribus septemuiris ad eius summã dignitatem conspiraturis, siue à Matthia Hunniade Coruino Othomãnici Imperij, ac totius Orientis terrore, cui simillimum in bellicâ laude, Turcicisq; victorijs MATTHIAM Austriacum suspiciemus.

Belgio præficitur.

In ipso ætatis flore flos ipse Principum ad Belgicarum Prouinciarum, in quibus Apriles amænissimi vernant, & Flora cum omni floreâ natione regnat, euocatur, exhibitisq; spectaculis magnificentissimo apparatu veluti triumphator exceptus Summus Belgij Præfectus inauguratur. Omnia
1577. florere videbantur, cùm immanis ille turbo, qui Belgicæ Reipublicæ fortunam tot annis rotauit in præceps, floridas spes euertit.

Iniuriosam toti Austriaco Nomini defectionem ab Hispano Rege diu pati MATTHIAS non potuit, qui virtuti, non famæ seruiebat, debilemq; sciebat esse excusationem, quæ accusatione temporum nititur, & sæculum criminatur. Iustitia meretrix non est; licèt nihil præter merita respiciat: nec fert mendaces fucos, & veteratoria pigmenta politicæ simulationis. Iam facta fidei, quam Monarchæ suo debebant, Antuerpiæ publicâ abiuratione, Orangio vbiq; Rempublicam, quam iam suis arbitrijs subhastarat,

rat,

rat, callidis negotiationibus licitante, fœderati ordines per Philippum Marnixium, Comitem Aldegundium euocarant Alenconium Ducem Francorum Regis Fratrem; vnde cùm Austriacus solum nomen Imperij sustineret, personatus Princeps in scenico illo Belgicæ perduellionis theatro, periculumq; esset, ne sui fabulam daret, principatu se abdicauit.

A Belgicâ Præturâ in Germaniam reuersus Ernesto Archiduce Fratre è Prouinciâ abeunte Prorex Hungariæ substituitur, cum Austriæ etiam administratione. Signum suũ MATTHIAS constituit semper amorẽ recti, quandoquidẽ ars imperandi etiã iaculandi est, & non nisi per amorẽ recti collineat. Cum suâ venerandâ canitie, ac priscâ probitate, & publicas leges, & priuatos mores reuocauit ad auream Themidis libellam, stellantesq; Astrææ lances, omnia expendens. Mortuis legibus, è suis ipsis moribus leges nouas condere populorum poterat, germano semper candore sine fuco peregrino vsus, qui primas honesto deferret, vtilitati vix secundas. Ad innocentes has ciuiles victorias, pari gloriâ victricia prælia consequuta sunt. Primas palmas collegit in Hungariâ, in qua potissimùm Thracia Luna veluti in suis Euripis reciprocantium bellorum æstus alternabat. In expugnatione Nonogradensi, ac Strigoniensi ita res felicitèr cessit, vt nulli dubium fuerit cælestibus auspicijs geri, Deumq; exercituum Austriacis militare stipendijs, nisi velis dicere, & meliùs imperare militibus, Archiduce MATTHIA Dei simul, & Cæsaris Proregem agente. Alterno fœdere Principem Religio seruat, cùm Religionem Princeps, nec vtiliori ratione, quàm hac Deo fœnerari potest. Ipsam Budam Principem Hungariæ Arcem è sublimi cliui, veluti regalis solij vertice subiectæ Regioni dominantem, magna vi adortus, iam fortunæ comis manum iniecerat, occupatâ inferiore Vrbe, & magnâ ex parte victoriâ potitus, nisi pluuium cælum inundans, tellus paludibus stagnans, & alia maleficia naturæ referre pedem coegissent, ijsdem tamen incommodis, barbarum hostem à Varadinensi Arce retrahentibus. Inde Sinanem Bassam, quem Thracius tyrannus centum barbarorum armatorum millibus præfecerat primùm à Commaronij obsidione auertit, demùm ad Albam Regalem cum toto ferè exercitu euertit cumulatissimâ victoriâ, siuè numerentur, siuè æstimentur hostes interfecti, nam inter multa cæsorum millia ipsi purpurati supremi castrorum Præfecti in illâ pugnâ Murates, & Mehemetes desiderati sunt. Alba Regalis Regni caput, & inaugurandorum Pannoniorum Regum inclyta sedes, victoriæ præmium fuit, priùs ab Othomannis capta, annonâque & milite affatim munita, ac deinde trium dierum spatio ab Archiduce MATTHIA recuperata. Inter prodigia Austriacæ felicitatis non infimum locum habebit MATTHIÆ manu contractos in dies annos, & triennalem obsidionem, quæ debebatur munitissimæ Regiæ Vrbi, in triduanam migrasse. Ita in magnis rerum articulis Deus exercituum auxiliarijs prodigijs Austriacis castris accedit. Hac vnicâ victoriâ inter cædes barbarorũ gigni poterat immortalitas MATTHIÆ Archiducis nomini.

Prorex Hungariæ creatur.

Bellum Turcicum in Hungaria feliciter geritur.

Prodigij loco habitũ est expugnari tridui spatio Albã Regalem.

Othomannicis conatibus repressis, Hungari, Bohemi, ac Daci seditiosis tu-

Victoria multiplex Hungarica Bohemica Dacica. ſis tumultibus rebellant. Pluribus laureis, ac triumphis Matthiam Cœlum deſtinarat, retulitque copiosè, bonis auibus Aquilis Auſtriacis victricibus ferè totum Septentrionem emenſis. Eò felicitatis peruenit, vt Botzaianâ ſeditione penitus ſedatâ, belli auctor læſæ Cæſareæ Maieſtatis facinus, morte luerit, incaſſum donis tentatâ conſtantiâ Auſtriaci Archiducis, qui ſolo iuſto honeſti, rectique pretio venalis erat, & æquè donis, ac dolis armatâ manu occurrebat, & pectore loricato. Eâdem gloriâ, vt
1607. eſſet non terrarum tantùm, ſed marium victor, iugo Danico mare Balthicum liberauit, reſtitutâ Germanis negotiatoribus tutâ, liberâque nauigatione.

Hiſce victorijs Othomannicis, Hungaricis, Bohemicis, Dacicis initia huius ſæculi nobilitauit MATTHIAS dignus, & ex ſuo ſanguine Auſtriaco, quem trahebat in Imperatoriâ Familiâ, & ex hoſtili, quem enſe victore extraxerat, qui Rex purpuraſceret. Itaq; in Regem Hungariæ
1608. Poſſonij, & Bohemiæ Pragæ, cum ſummo totius Europæ plauſu inauguratus eſt, deſignatuſque RVDOLPHO in ſolio Germaniæ ſucceſſor. Ad
Inauguratur Hun. & Boh. Rex. inaugurationes regias, vt Regij darentur Hæredes conſequutæ ſunt nuptiæ cum ANNA Auſtriacâ FERDINANDI Archiducis, & ANNÆ CATHARINÆ Guglielmi Gonzagæ Mantuæ Ducis filiæ nobiliſſima prole felicitate ſemper pronubâ, vbi Auſtriâ Auſtriæ veluti nubente totus Au-
1610. ſtriacus celebratur hymenæus. Fatis tandem cedente RVDOLPHO, cui aliquis Acris, ego, potius Prudentis cognomentum darem, MAT-
1612. THIAS ſuccedit Sanguine frater, Gemelluſq; virtutibus, atq; ita pari nominis ſplendore, vt Auſtriaci Imperij Cælum viſum ſit iterum poſt CA-
Eligitur Imperator ROLVM, & FERDINANDVM habere ſuum Caſtorem, & Pollucem quorum ſecundus primo occumbente, oriretur, vix mutato Cæſare, nedum amiſſo. Ad imperium MATTHIAM iura Sanguinis, ſuffragatio virtutis, fraterni dignatio nominis dudum deſtinarant, & quidquid poterant, non tantùm Septemuirum, ſed omnium mortalium vota exoptare.

Iuſtitia maximè floruit. Ei in ſummis amoribus fuit inter cæteras virtutes iuſtitia, quam, ne imbellis eſſet, aduersùs orthodoxe fidei hoſtium genus omne, zelo religionis armauit, vnde apud multos ZELATORIS nomen retulit. Etiam in cælo Aſtræa, cuius ſtellatis lancibus fit magna illa iuſtitia dierum, ac noctium, primum auſtralium ſignorum eſt, vt hanc virtutem non Cæſaream tantùm, & Auguſtam, ſed Auſtriacam eſſe ſcias, & Auſtrij Fundatricem, ac Seruatricem Imperij. Hac auſpice mulctaturus ſeditioſam hæreſim, noua ſemper, & impia molientem, Francofurtum, & Aquiſgranum cæpit nobiliſſimas alioquin Cæſareæ electionis, & inaugurationis ſedes, adiutus auxiliarijs copijs ALBERTI Archiducis Belgarum Principis, Operâq; illius Vrbium expugnatoris Liguris Polyorcetis Ambroſij Spinulæ noſtro æuo celeberrimi, exercitus Regij in Belgico Supremi Ductoris. Securis expedita cum faſcibus ſecuritas regni eſt: cum fugere ſceleſti nequeunt, ſcelera fugiuntur. Hac ſoſpitatrice ingentes ſæpè cum paruâ manu animos tulit ad magna bella, ac meditata perfecit, inter ferreos telorũ imbres interritus, quaſi diuina vis, non ſolùm MATTHIÆ Scutum adamantinum eſſet, quo illa retunderet, ſed retorqueret etiam in hoſtes, fruſtratis ſæpè ſæpius

ſua de-

fuâ destinatione iaculis, & igneis globis ante ictum suffocatis in scelere tantùm cõcepto. Eam Sui venerationem ipsi Othomanno Imperatori peperit, totiq; Turcicæ nationi, vt & pax ab illis exorata, ac pacta in vicennium, & legationes pretiosis muneribus cumulatæ missæ, & impetratum vt multa templa in Strigoniensi Diecæsi præsertim Monachorum, & Præsbiterorum Societatis IESV ad Christiani ritus splendorem reuocarentur, quæ impij Mahumeticæ superstitionis Mystæ, supra Massagetarum Popas, Busiridis Aras, Augiæ stabulum, ac Diomedæa præsepia conspurcarant. Quid deinde mirum, si mutuis veluti officijs auxiliaribus, Deus Austriacę Domus potentiam sartam tectam seruat, vbi Austriaci Domus Dei splendorem tam enixè procurant. Eâdem Iustitiâ Duce nullà à donis vis illata Reipublicæ: odium, & gratia geminæ iustitiæ pestes proscriptæ ab Aulâ, in qua nullius auctoritatis erant malæ artes, & soli fortes, boniq; in pretio: prænsantibus malo omine dignitates, paratæ repulsæ: nobilitati quidem locus, sed post virtutem datus; magnus enim ille splendor est, sed vmbra virtutis. Verum Principem regni Germanici felicitatem in Cæsaris probitate constituerat, quem Iustitiâ Imperatrice cælo parere voluit. Imperatore cognito, ac si esset Iustitiæ simulacrum, omne ius populi nouerant. Sola ipsius præsentiâ tantam incussit reuerentiam Maiestatis, vt firmatas iam altis radicibus rixas inter belli Duces, veluti bellorum surculos, statim extirparit. Ita magna Procerum, & populorum censura est Principum virtus, vbi suarum cupiditatum populum sibi parere iussit; tunc enim ius tenere poterit, & apicem iuris pro dignitate, cùm Rex etiam sui cognoscitur.

Obitus 1619. 13. Kal. Apr.

Iustitiam coluit tandiu MATTHIAS Imperator, quandiu Astræa, quam exulem terris redonarat, ipsum patrio cælo donaret. Ante obitum cùm intestinis tumultibus Germania aduersùs Cæsarem arderet, (neque enim sol vnquam nubes sibi non excitat, etiam cùm serenissimus est, & innocui splendoris,) careretq; liberis, accedente consensu, magnanimisq; ac generosis suffragijs Archiducum Austriadum Fratrum MAXIMILIANI III. & ALBERTI VII. qui proximè ad Imperium iure sanguinis vocabantur, FERDINANDVM II. Pium Patruelem CAROLI II. Archiducis filium, & FERDINANDI Cæsaris Nepotem, Auum tuum Augustissima Heroina omnium virtutum titulis clarissimum, inauguratum Hungarico Regno, ac Bohemico, Imperij successorem designauit, adoptante bono Nerua aliquid etiam melius optimo Traiano ad ęternam seriem maximorum FERDINANDORVM, ac totius Orthodoxi orbis felicitatem. Vos verò MAXIMILIANE, & ALBERTE alterum in Austriaco cęlo gemellorum Astrorum Par, calcatis Imperij fascibus in Herôes assurgentes, regnabitis in fastis Imperatricis Familiæ magnanimæ huius, augustæ, & heroicæ modestiæ gloriâ, æuumq; ipsum immortali facinoris famâ coronabitis, nunquam maiori iure in possessionem Imperij missi, quàm cum illud generosè calcastis. De tot prouincijs triumphastis, quot cessistis, neq; enim minùs triumphalis est magnanimitas, quàm fortitudo, cùm hæc inter cæsorum hostium cadauera currum agat, illa inter grata pectora, & amica capita. Vos certè,

Maximiliani, & Alb. Cæs. fratrum heroica virtus.

Non

Virg. 2. Geor.

Non populi fasces, non purpura Regum
flexit

imo veriore cantu

nunc purpura primùm
Inferior virtute fuit, meruitq; repulsam
Obuia Maestas, doluit fortuna minorem
Se confessa viris, magnos delata potestas
Maiores contempta probat.

Claud. in Epi. Pall. & Cel.

Dignus erat præferri ab his Herôibus summæ rei FERDINANDVS Pius Maximus, digniq; erant MAXIMILIANVS, & ALBERTVS ex tanto prodigio virtutis, vt FERDINANDVS Pius maximus eorum locum impleret, quem Cælum fauentissimum ab vrnâ suâ ad Christiani nominis, fideiq; Diuinæ aduersùs veteratorios nouatores conseruationem, amplificationem, ac splendorem dudum destinarat.

MAT-

MATTHIAS

Symbolum.

Quem historia non potest, Symbolum describat.
Et quia Heroem Austriacum,
Primum inter signa australia euocetur è Cælo
Symbolicum irradians terris astrum.
In Astræa suis patrijs stellis coronata
Vibrante dextera fulminatorem ensem
Laua pensilem mundum stellantibus lancibus librante
MATTHIAM Imperatorem habes,
Constantissimæ religionis, consultissimæ sapientiæ,
Potentissimæ felicitatis.
Nobili côrpori non degener anima
Addetur in lemma.
Ius, non Vis.
Ita omnia infra se despexit,
Ut nihil supra se præter Cælum suspiceret.
Olympum dixisses montium Regem
Serenissimo inter astra coronaria capite cælo confinem.
Infra eius stelligerum verticem calcata pedibus,
Fulminatrix turbinum Mater, fortuna detonuit.
Amasius æternitatis
Nullo alio quàm siderum auro immortali redimitur.
Ita deinde leua libratum mundum rexit,
Ut dextera vibrandum ensem gereret,
Unde sciremus Imperatricem in MATTHIA Iustitiam
Et fuisse Patronam virtutum,
Et scelerum vindicem.
Ad virtutem attraxit aureo mundo,
Retraxit à sceleribus ferreo ense.
Nisi supra magnorum præmiorum, & pænarum polos staret,

Nullum

Nullum stabile foret in sua perpetua vertigine politicum Calū.
Fouent pietatem, quæ fauent:
Docent impios, quæ nocent.
Apud iustum Principem æqua lance,
Nec misera Virtus esse debet, nec vitium felix.
Illa æquitate orbis terrarum regendus est,
Qua in Cælo fit iustitia dierum, & noctium.
Hoc Horoscopo nascuntur Austriaci Cæsares:
Hic è Cælo dominator, rerū Dominis Imperatoribus, imperat.
Non tamen cum MATTHIA Astræa in Calū reuolauit
Nostras est, quousq; imperarint terrarum Orbi iustissimi
FERDINANDI.

SYNOPSIS GENEALOGICA
A MATTHIA
AD FERDINANDVM II. PIVM.

MAXIMILIANVS Cæsar lōga liberorum nobili linea videbatur æuum, in quod Austrium stemma tendebat sibi pollicerí, sed Cælo FERDINANDÆA aurea sæcula ordiente, in MATTHIA Cæsare filio centrum inuenit, vnde nec suæ gentilitati tanta sobole satis fœneratus est. Orbitas tamen MATTHIÆ Orbi terrarum fecunda felicitatis fuit. Ad CAROLI II. Archiducis vltimi filiorum FERDINANDI I. Cæsaris prolem rerū summa deuoluitur FERDINANDVM II. Pium maximum RODVLPHI II. & MATTHIÆ vltimorum Cæsarum filiorum MAXIMILIANI II. Patruelem, FERDINANDI I. CAROLI V. Maximi Fratris, Nepotem, Abnepotem MAXIMILIANI I. Trinepotem FRIDERICI IV. Pacifici, & quod Principem apud me locum habet, omnibusque eminet FERDINANDI III. inuictissimi Cęsaris Patrē, & MARIÆ ANNÆ, ac FERDINANDI gemellæ Hispaniæ, & Germaniæ Spei, rerum Dominæ, ac toto Ortodoxo Orbi auspicatissimæ, Auum. Augustorum CAROLI Archiducis liberorum syllabus hic est.

FERDINANDVS V.
ANNA VIII.
MARIA CHRISTIERNA VI.
CATHARINA RENATA.
ELISABETHA XII.
FERDINANDVS inter Austrios Princ. VI. inter Cæsares II. Pius maximus
CAROLVS V.
GREGORIA MAXIMILIANA.
ELEONORA V.

MAXIMILIANVS V.
MARGARITA VII.
LEOPOLDVS V.
MARIA MAGDALENA I.
CONSTANTIA I.
CAROLVS VI. POSTHVMVS.

FERDINANDVS CAROLI Archiducis natu primus, primitiæ regiæ, posteritatis, & flos generis à primis annis Deo dicatus, in Cœlum translatus est. MARIA CHRISTIERNA Sigismundo Battoreo Daciæ magni nominis, fortissimæq; prosapię Principi nupsit, vt omnes bellatores Heroas, quos in sua Gente non numerat, Augustis sibi cognationibus iungeret Austriaca Domus. CATTHARINAM RENATAM, ELISABETAM, GREGORIAM, MAXIMILIANAM, & ELEONORAM innocentia primæ ætatis suo iure Cœlo transmisit. MAXIMILIANVS Patruo Magistro Theutonici ordinis successor designatus ab egregiæ spei sinu, omnibus sui desiderium relinquens, sublatus est.

MARGARITA Heroidum Gemma, innocentissima cœli soboles, candore morũ & sanctitate virtutum, vtriusque Austriæ Domus Imperatricis in Germania, ac Regnatricis in Hispania Vnio inæstimabilis, & sui sæculi, orbisque terrarum pretium, maximorum monarcharum PHILIPPI III. vxor, & PHILIPPI IV. nunc regnantis, cui orbis Austriacus, ac præsertim Insubria amantissimæ fidei suis Regibus Prouincia, ijs vocibus quibus Romanum imperium seuero Cæsari, acclamat. *O Dominum Æquum, & Bonum,* & nestoreos annos adprecatur. Mater fuit. Pretiosissima hæc Reginarum Tibi MARIA ANNA, quæ eius solium, ac maiestatem omniũ virtutum imples, multiplici nexu sanguinis iuncta, & Aui soror, & Genitricis mater & Coniugis, felicissimis tuis nuptijs prolusit. Vrbemque hanc Principem Insubriæ Austriacis Dominis deuotissimâ beauit, cui tu modò sponsa ver felicitatis cum omni flore gaudiorum affers, æternum datura Aprilem, cùm Mater. MARIA MAGDALENA Cosmo magno Etruriæ Duci Ferdinandi filio coniugata mundos Medicæos Austriaca cognatione mirum in modum auxit, addiditque Florentiæ florem, quo semper virere possit. LEOPOLDVS Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Tyrolis Comes, Leopoldi I. sanguinis, & virtutum hæres fuit. Eadem fraterna beneuolentia, qua ille FRIDERICVM III. Pulchrũ Cæsarem, hic prosequutus est FERDINANDVM II. Pium maximũ, summa fortitudine hęresi vbiq; oppugnata, ac propugnata orthodoxa fide, procurataq; religione. Heluetijs victorijs, illorũ accisis rebus, qui Rhętorum montium claustra, & fauces occupauerant, omniumq; virtutum nominibus inclaruit, in serenissima prole FERDINANDO CAROLO, CAROLO EMMANVELE, omniq; aliâ Tyrolensi gloria ęuũ gloriosissimũ daturus, & propagaturus Heroũ Posteritatem. CAROLVS Posthumus Archidux Austriæ, & Episcopus Vratislauiensis MAXIMILIANO Patrueli Magno Theutonicorum Equitum Magistro in suprema illius ordinis pręfectura successor, Princeps eximię pietatis in Deum, Cælitesq; omnes, humanarum, diuinarumque disciplinarum scientissimus, multisque alijs titulis clarissimus maximos pro FERDINANDO Cæsare Fratre, totaque Imperatrice Gente labores felicissimè, & victoriosissimè exantlauit.

ANNA inuictissimo æque, ac victoriosissimo Heroi, hæresum domitori, & Orthodoxi nominis quod Sueciæ regno prætulit, propugnatori Sigismundo III. nupsit Sueciæ, ac Poloniæ Regi. Huius in thoro, solioque successit indulgente id Summo Pontifice Paulo V. CONSTANTIA. Vtraque suũ nomen impleuit, illa gratiosissimis Polonico Regno virtutibus, hęc earundem virtutum constantia singulari, nec prima secundam felicitate prolis superauit. Altera Vladislai, altera Casimiri potentissimi Suecię, & Polonię Regis, & magni Lithuanię Ducis Mater fuit, totiusque serenissimę posteritatis propagatrix.

Vladislao pietatis, & fortitudinis titulis inter huius sæculi coronatos auro, lauroque Heroes præclarissimo, sicuti olim MATTHIAS RVDOLPHO in Austriaco imperio, ita nunc CASIMIRVS in Polonico solio successit pari prorsus splendore Castori Pollux, atque hunc annum Poloniæ auspicatissimum sua inauguratione initiauit ad omnem felicitatem, maioremque quam regio Nomini adscripserit, explicuit per vastissima regna serenitatem, quibus barbaricę

incursiones miserum in modum vastitatem minabantur. Non acclamare non possum inter Orbis terrarum plausus magno tuo nomini gloriosissimę Sarmatię, & aliarum maximarum Prouinciarum Rex, CASIMIRE. Certè ipsum CASIMIRI nomen inter Polonicorum Regum nomina æque sanctissimum, ac fortissimum, semper fuit Auspex felicitatis, victoriarum parens, pietatis tessera. fati obses, barbarię fulmen, lauris, palmisque coronatum. Iam Sagittarij Samothraces, iam tota Massagetarũ trecentarũ chiliadũ bellatrix, & errabunda immẽsa colluuies, iam infausta illa, & formidanda Romano Imperio nomina Getę, ac Geloni solo CASIMIRI triumphali nomine, ac fama debellati, pacem exposcunt, accipiunt leges, arma abijciunt. Iam Prędabundum furentium populorum rusticanum agmen, cui euersis Vrbibus, Arcibusque pluribus expugnatis, Dominum ferè regnum procubuerat, imminens Sarmatię iugulo, & capiti insultans, inglorium stetit, magnique Boristhenis ripas & Insulas, Euxina litora, stagnantem ignauis aquis Meotidem, in hospitalem Caucasum & duratum longeuis niuibus Tanaim meditatur. Iam impetus pellitarum nationum, quas toto tuo Cœlo, Vrsisque trucibus armat Septentrio, in ipso victoriarum cursu suflaminatur. Iam tibi plaudentes CASIMIRE potentissime ipsi glaciales Boreę in tuis laudibus ardent: iam tuas victorias Vartha, & Vistula secondo cursu, & omnia Polonica flumina immurmurant: iam tuis triumphis Lithuanica, Samogitia, Mossouia, Volhinica, Podolica, Liuonica, Pruthenica, atq; vniuersa Lechitorum Regna lauros progerminant, dum interim Orbis terrarum tibi Solium, ad quod pręter omnium suffragia virtutum, cum Iagellonicis fascibus, Austriacis victricibus Aquilis inuectus conuolabas, gratulatur. Quid verò aliud expectari poterat Austriaca virtute, Iagellonica generositate, Suecica magnanimitate, Battorea fortitudine in vnum caput, nomenque conspirantibus? Salue igitur CASIMIRE, potentia, pietate, ac felicitate Ter-Maxime:

Cl. de Hon.

Accipite fortunam Generis, diadema resume
Quod tribuas Natis.

Tu verò Polonia plaude, quæ sapientissima suffragatrix in Magnis Comitijs CASIMIRVM omnium mortalium votis expetitum, vna tuorum omnium voce in sublimi rerum vertice collocasti, & quando iam habet Nominis, adprecare tuo Regi gloriosissimam Serenissimæ Posteritatis immortalitatem, & hanc quoque impone omnium sæculorum coronam.



IMPE-



C METAS RE
RVM NECTEMPO
RA PONO
IMPERATOR CÆSAR FERDINANDVS II. PIVS FELIX AVGV.
CARV. MAX
FERD. I
FRID. IIII PACIFI
RVD. II
FERD. III
PL VS VL TRA

IMPERATOR CÆSAR FERDINANDVS II. PIVS, FELIX, AVGVSTVS, REX GERM. HVNG. BOHEM. DALMATIÆ, CROATIÆ &c. ARCHIDVX AVSTRIÆ, DVX BVRG. STIR. CAR. CARN. SILES. PRINC. SVEV. MARC. MOR. LVS. BVRGOV. LAND. ALS. COM. HAVSP. TYR. &c.

AVum tuum Tibi sisto AVGVSTISSIMA NEPTIS, Pijssimum FERDINANDVM, cò lubentius, quò toto genio FERDINANDÆO in te regnante, Tu ipsa etiam in eius pietate diceris. Imò Tu ipsa dices FERDINANDVM tuum; nam hæc magna laudum omnium thesis magnitudine suâ famam obruens, dicenti penitus intercedit. Ad explicandum in totâ sua mole tam immensum Gigantem, breuis est cum grandi suo penicillo Timanthis manus: ad exprimendum cum totâ suâ pulchritudine tam nobilem Alexandrum, rudis est cum suis prodigiosis lineis ars Apellæa. Tu sola auitis omnium virtutum lineamentis totum reddes, nec tantùm coloribus, sed & luminibus suis FERDINANDVM. Ego de meo interim calamo obscuro, minimèque illustri, illinam vmbras, totamque FERDINANDÆÆ imaginis picturam exhibebo.

Alij FERDINANDVM dixere Pium, alij Maximum, alij vtrumque reciprocante nobili splendore titulorum, Maximum, quia Pium, Pium, quia Maximum. Et certè hi tituli disiungi non possunt. Quis enim sine pietate maximus vnquam fuit, aut pius sine magnitudine? Dicamus ergo FERDINANDVM Maximum Pietate, quæ omnium ducens virtutum choragium, stipata magnarum Sororum choro prima FERDINANDVM occupauit, contulitque nobilem titulum. A parentibus pijssimis

1578. 7. id Iul. Parentes Ferdin. II. & ortus.

CAROLO Archiduce Auſtriaco, & MARIA Bauarâ, iunctis magnis ſtirpibus, quæ Herculeæ in Germaniâ columnæ, bacchanti hæreſi *non plus vltra* obijciunt, metamque omni impietati, primam traxit FERDINANDVS nobilitatem Pietatis, cum omnium gentili ſplendore virtutum. Vtrique Auſtriæ, ac Boicæ Genti, firmis iam plurium ſeculorum radicibus.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria: nobilitas ſola eſt, atque vnica, virtus.

Nunquam non ſalutaria fuere in ſua coniunctione, hæc ſplendidiſſima Septentrionis Aſtra, geminæque bonorum omnium cynoſuræ. Præter hæc domeſtica ſidera, alia ne quære in FERDINANDI fortunatiſſimâ geniturâ. Sanctiſſimos Bauaros Cæſares, & Auſtrios Archiduces, HENRICOS, & LEOPOLDOS horoſcopos eſſe decebat FERDINANDÆÆ Pietati, non inceſtam Venerem, ſanguinarium Martem, adulterum Iouem, trifurciferum Mercurium, alioſque ſuis ſceleribus famoſos Planetas. Dominatorem Pietatis, quæ cælo, terriſque dominatur, inter aſtra numquam inuenies. Ita inde ſortitus eſt FERDINANDVS à naturâ pietatem, à pietate naturam, vt ab ipsâ ſimul factus, & ad eandem natus, imò altera in alteram, natura in pietatem, pietas in naturam migraſſe videretur.

Primiâni pijſſimè traducti.

Admonuit Cælum vbera lactenti, vt pietatem lacteam ſummi candoris, ac ſuauitatis, ipſius Dei genium cum vitâ inſtillaret. Prima ſiquidem ſacrauit FERDINANDVS verba virtuti, Cælo vota, primumque veſtibulum vitæ viſum eſt aditus ad proxima adyta ſanctitatis. Eum, qui ſic fari inceperit, & agere, ſine piaculo infantem, aut tenerum, nemo dicet. Ætates non planetarum errantium peregrinatione, ſed cæleſtis, cæloque ſemper affixe gloriæ curſu, & ſtatione, non monſtris ſtellarum, ſed virtutum, in illuſtriori, quem Pietas dabat zodiaco, euoluit. Ipſas horas cælo ſuo, ac ſideribus numerauit. Imò nec diſtinxit ætates; nam nullum ferè momentum vitæ FERDINANDVS traduxit, quod omnium laudes non complecteretur ætatum. A primis ſiquidem etiam annis, & candidorum maturitate conſiliorum incanuit, & Heroem egit, ne dum virum, & adulto viguit virtutum robore, & nullam prætulit præter eam, quam taciturna modeſtia dabat, infantiam. Omnis illi flos ętatis amęniſſimus terris fuit, cęlo ſuauiſſimus, in quo cęleſtes apes, virtutes nimirum omnes, erudiendum pretioſiſſimum in nectar ſuccum inuenirent. Adhuc Ephebus in aulâ Bauaricâ Regio tot pijſſimorum Principum Lycęo apud Vuilhelmum, cui *Religioſi* titulum indidit ſuperius, noſtrumque ſeculum, non alia diſcere potuit, quàm baſilicę elementa religionis. Quid enim aliud docere poterat Princeps, & Dux religioſus vel ſolo ſuo Principe exemplo Magiſtro, & Duce, quam religionis maieſtatem?

Ingolſtadienſis Academiæ rector creatur.

Ab hac ad Ingolſtadienſem Academiam traductus ita feliciter ſapuit, vt omnium ſcientiarum Encyclopediam, breui gyro concluſerit. Vnde illius nobiliſſimi Athenęi Rector, virtutum, artiumque bonarum pretio, & ambitu coronatus, prius literariæ Reipub., quàm Romani Imperij meruit ſolium obtinere, vtrumque etiam ante Imperium Antoninum Cæſarem

rem geminato titulo gloriáq; in se iungens, & Philosophum, & Pium. Siste peregrinantia tua vota per fabulares non mundi, sed intermundiorum ideas, eorumdem votorum magnitudine Maxime Plato: beatam tibi Rempublicam dabo, & aliquid vltra tua vota, regnante deinde FERDINANDO non philosopho tantùm, sed Pio. Quis reuocandam ab exilio in vrbes, aulasque veritatem non speret, vbi Princeps instituitur magister veritatis, & Philosophia non sordidata vulgari latebit sub pallio, sed paludata Imperatoriâ splendebit in purpurâ, totamque maiestatem suam explicabit, summa veri, rectique auctoritas.

Interim prima proditur tantæ fælicitatis Aurora, instatque volucribus rotis è cœlo FERDINANDÆVM hoc, quod viuimus sæculum, cum consequentibus annis ad omnem felicitatem initiatum ab auspicatissimis nuptijs ipsius FERDINANDI cum MARIA ANNA Vuilhelmi Religiosi Baioariæ Ducis filiâ, & Maximiliani Septemuiri multarum palmarum triumphalis Heróis, sorore, Heroinâ sanctissimâ, tibique MARIA ANNA Reginarum maxima non vno hoc MARIÆ ANNÆ nomine, sed omnium virtutum nominibus, titulisque cognomine. Ex inuictissimo Septentrionis Regnatore FERDINANDO III. Pio, Felici, Augusto, eiusque Augustissimis Liberis, & Imperatrice, ac Regnatrice sobole agnoscere possumus, quantum vltra diuina piacularia animarum bona, anno illo sæculari, felicitatis Cœlum terris indulserit, veluti cælestium indulgentiarum auctarium. Eodem anno vt sæculum, quod nascebatur ex sua Pietate dedicaret, cuderetque, si non aureum, saltem pium, rarò summæ pietatis non exemplo tantùm, sed prodigio, in oculis totius Italiæ Prouinciarũ omnium Reginæ, quæ tanta vestigia memori semper cultu releget, & venerabitur, aureo sceptro in humilem Scipionem viatorium decrescente, penulâ purpuram, omnesq; illius splendores extinguente, Pedes cum Regiá Coniuge MARIA ANNA potestatis, pietatisq; consorte ad DEIPARAM LAVRETANAM, peregrinationem inijt, vt quæ erat omnium victrix laureata pietas, triumpharet in laureâ, non nisi ex Mariano illo cœlesti laureto decerptâ. Habuit Italia hisce sæculis, quos veneraretur Heraclios, & Helenas, communi cum Deo amore crucis Amasios. Exponet in posterum Lauretana miraculorum Officina inter pretiosiora votiua anathemata FERDINANDVM, & MARIAM ANNAM, aureos Archiduces, ad Christianæ demissionis miraculum Pios. Docuere quam cynosuram magistram itinerum aspicerent Austrij Heroes. Addita sunt, vt omnes haberet numeros peregrinæ pietatis nobilis expeditio, crebrum pro viatico ieiunium, & qualia futurum deinde Imperatorem decebant, in populos Pauperum, eleemosinarum congiaria. Nec inde mirum tumultuantes postea, quas regebat prouincias innocenti vti debebat esse Pietatis, victoriâ, solâ sanctitatis famâ in sui reuerentiam FERDINANDVM composuisse, veluti admiratione tam pij Principis sideratos, ictosque de cœlo, & minimè reluctantes ad auitę religionis normam reuocasse. Eius Pietatis sanctissima otia interturbante classico, triennale bellum cum Venetis gessit, eâ successus felicitate, vt potentissima Respublica, hisce annis Othomannici furo-

Nuptiæ cū Maria Anna Bauara.

1600. 9. kal. Ma.

Peregrinatio Lauretana.

furoris domitrix, æmulaque in Imperio, marium Orientis, ad honestas pacis conditiones descenderit.

Adoptatio ad regna, & Imperij Austriacum.

Non poterat FERDINANDVS pacatis titulis, bellicâque laude iam Augustus, princípe licet domo contineri. Regiam poscebat tanta Pietas, & Augustali vbi tum maiestate toti terrarum Orbi spectabilis regnaret, excitaretque publicos amores, & cultus populorum. Nullo illicio potentiori rapiuntur boni populorum amores, quàm moribus optimi Principis, qui in Regibus etiam Reges sunt, & adorantur, ne dum amantur. Imperitum vulgus oculis caret quibus virtutes aliquando in suis coloribus intueatur; vnde hæc ipsa cælestia dona, se ipsis pretiosissima sepius ex purpurâ estimat, colit ex famulitio, veneratur in solio, nec nisi cùm sublimes spectantur, suspicit. Itaque continuatâ felicitate tres annos FERDINANDVS tribus pretiosissimis calculis, è Cœli vrnâ eductis, quibus ad Bohemię, Hungarię, ac totius Germanię Regnum vocatus est, munerauit, eosque non consulatibus, sed Regnis, non fascibus, ac securibus, sed sceptris, coronisque initiatos, fastis inscripsit Austriacis. Imposito deinde post nobilem, & coronatam Trieteridē honorum suorum celebratam, Imperatoris nomine, ac Diademate, cum immenso orthodoxi totius Orbis plausu, cępit Cęsar, & Augustus Cęsarem cum Augusto miscere, & hostium victor, & pater populorum. Belli etiam, pacisque ornamentis cum optimis Traianis, magnisque Constantinis, imò cum suis maximis ALBERTIS, FRIDERICIS, MAXIMILIANIS, & CAROLIS propagasset Imperium in ipsis initijs Principatus, nisi Phlegræa Nouatorum natio montes montibus, Pelion Ossę, nimirum Principes cum populis conspirantes addidisset, vt è cœlo si fieri posset simul Deum, & FERDINANDVM è solio deturbaret.

1617. ka. Iul.
1618. ka. Iun.
1619. ka. Oct.

Bohemicum Bellum.

Bohemi ex vna parte Palatinum Septemuirum Fridericum, Vangionum Principem, abiurato prius FERDINANDO Pijssimo Cęsare, impiâ inauguratione Regem, proclamant, trahuntque in sceleris cognationem, affines Morauos, Lusatos, Silesios. Tum externis amicorum Batauorum auxilijs, perduellionem armant, aduocantque ad stabiliendum Pseudoregis caducum solium plurium Principum auxiliares manus, Vuirtembergici, Anhaltini, Ansbacchij, Hassi, Durlachij, aliorumque Germaniæ Procerum, quibus tanquam sue impietatis Atlantibus Imperiales Vrbes heresi laborantes, apertè vbique, arma, militemque suggerebant. Ex alterâ parte Hungari Bethlenium Gaborem Daciæ Principem, Othomannicis, ac Scythicis subsidijs stipatum, abdicato contra ius, fasque Cæsare, sceptro, ac purpurâ donant, Regisque nomine. Imperare FERDINANDVS simul cum hæresi non vult: hæresis cum FERDINANDO, in quo Deus regnabat, non potest. Imperatrice Pietate non est mirum, quod Hæresis tyranna, omnisque eius stipendia merens populus flagitiorum, rebellaret. Mirum fuit tantum illi audacię, tantum virium fuisse in regno Pietatis. Verùm quid impium non expectari debuit FEDINANDI Pietate armis Bohemicis, Marcomannicis, Batauis, Pannonicis, Dacicis, Scythicis, Turcicis, & ferè totius non solum Septentrionis, sed Orientis coniuratione circumsessâ. Aperto Erebo

Bellum Hungaricū & Dacicum.

emissa-

emissariæ furiæ Hæreseos ministræ, omnem ferè Germaniam aduersùs FERDINANDVM accenderant, sed clausum cœlum non erat, nec deerant illi fulmina, quibus se in Cæsare tutaretur. Stetit FERDINANDÆA Pietas mole suâ, & rebellanti vndātium populorum Oceano, constantiæ suæ rupem obiecit; vnde allisi reciprocantes aquarum arietes, non læderent ad ruinam, sed emacularent ad nitorem, quasi non in hominis, sed in scopuli pectus irruissent. Aduersa auersos feriunt, non aduersos, sua vulnera infligente Fortunâ, non stantium pectori, sed fugientium tergo. Immersabilis est vera Fortitudo, in ipsis naufragijs portum inueniet. Odoriferi succi virtutem esse scias: cum flagrat, fragrat, explicante igne veluti vitali, bene olentem animam. Frangi poterat Imperij columen FERDINANDVS, non flecti. Nihil nocere potuit illius innocentiæ, quem Cœlum non sospitabat tantùm, sed armabat, Religionis detrimentis, & lucris Imperij felicitatem metientem, censumque numerantem. Alijs astris cadentibus, nec leuiter quidem Oceano tingitur Australis polus. Nihil illustrius fulgurat, nihil tonat magnificentius, nihil victoriosius fulminat Pietate, vbi nubem fregit, & obstantes inimicos halitus disiecit. Iam mutuis certabant officijs Deus, & FERDINANDVS: ille Ferdinandi hostes perdebat, hic Dei.

Praga itaque flagitij Metropolis, & perduellionis caput petitur, vt vno ictu rebellis numini, & Cæsari prostrata in Capite Germania caderet. Ita planè accidit, neque visa pugna est iniri cum hostibus, sed cum hostijs, quæ in victoriâ litabantur cœlo, suæ causæ manifestis auxilijs patrocinanti; vnde victimarum more, ignauè, vel cæderentur, vel cederent. Ipsis primis congressibus exalbescente post Caroli victorias iterum Albi, ad Austriacas acies, ex sublimi suburbano Colle, vt victoria spectabilior esset, cum Friderico Pseudorege, sexaginta millium militum exercitus fusus, fugatus, atque occidione ferè delectus est, Bauaro Cæsarianarum copiarum Ductore, eâdem manu fortunam Cęsaris, & amentata suę fortitudinis iacula in hostes, ictu nunquam fallente victoriam, iaciente. Cum Cęsaris Pietate multum victorię sibi vindicarunt PHILIPPVS III. Hispanus Monarcha potentissimus, & Sigismundus III. Sueciæ, & Poloniæ Rex inuictissimus auxiliarijs, quas miserant, copijs etiam ipsi victores. Erudiri debuit plagis Hæretica Ægyptus, quę beneficijs non profecerat. Cicurata est Herculis clauâ Lernæa Hydra, si minus prostrata. Illud non infimum locum obtinuit in victoriâ pluribus laureatâ prodigijs, quod eâ die imò & horâ reddita sit Cæsari, ac Deo Bohemia, quâ in christianis sacris, quæ pseudoeuangelici Fridericiani, vbiq; execrandi, violabant, canebatur ab Orthodoxis Sacerdotibus solemni ritu *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*; quasi nunc supra vetera miracula, & Iericuntinas victrices tubas Sacerdotali non clangore, sed cantu, sine vllis bombardarum tonitruis, ac fulminibus, vt Deo simul reddantur, & Cæsari, quæ sua sunt non iam vrbes, sed regna ipsa expugnentur. Ingenti lucro Bohemia Fridericum amittit, pro quo recuperat FERDINANDVM, sed maiori, cùm etiam Deum. Imperatori cessit victoria, triumphus verò Imperatrici Cœli, terręque MAGNÆ DEIPARÆ tamquam

Victoria Bohemica

1620. X 18. Nou.

Ex manubijs victoria templū B. V. extruitur.

veræ Nicopeæ victoriarũ Architectæ decernitur, imò & Capitoliũ extruitur ex hostium manubijs, in eodem colle pulcherrimarum palmarum feraci. Quid aliud expectari poterat ab AVGVSTO, qui ex Laureto Mariano prodierat Imperator? Scit cui Planetæ dominatori debeat suas victorias Austriaca Domus. Hac etiam nunc, quod in primis Pijssimis FERDINANDO, & PHILIPPO ęqualibus curis diuisum fere Orbem Orthodoxum regentibus, gratulor, Austriacarum rerum Dominâ, Auspice victoriarum, Sospitatrice vrbium, Reginâ populorum, Pręside Regnorũ, belli, pacisque Moderatrice pugnatur, vincitur, triumphatur. Interim Palatinus tum è Solio excussus est, tum ex ipso Septemuirûm Collegio, adoptato Maximiliano Bauaro, in eadem fuga, Bohemico sceptro, & Septemuirali Calculo simul è manu elabente. Bohemię fato Rhenanus Principatus rapitur, partem superiorem Tylleo, inferiorem Spinulâ inclytis bello Ducibus, occupantibus. Amplissimã bibliothecã Palatinę Aulę spolium princeps, & Philadelphis Regibus dignum, GREGORIO XV. Pontifici Maximo FERDINANDVS Cæsar dono misit, liberatis simul cum hominibus ab Hæretico iugo libris ipsis, ac manumissis, & pijssimè magnificentissimèque apud supremum Orbis terrarum Doctorem, Christianorumque Sacrorum Regem collocatis.

Victoria Hungarica siue Dacica.

A Bohemiâ Cęsaris felicitas in Hungariam transfertur, & prouocatâ
fęcunditate aliã ex aliâ lauream parit. Gabori Bethlenio Daciæ Principi,
victorijs Cæsarianis deiecto, fractoque, inauspicata purpura, regiumque
nomen detrahitur, deditis omnibus Cæsari, quę in Hungarico Regno obti-
nebat, ac si personatus tantùm Princeps in amphitheatro mundano bre-
1621. uem fabulam sui, populis spectatoribus dedisset. Iterum ad Rhenum re-
1622. ditur, vbique classico victoriam canente, miráque celeritate à Tyllæo
triumphatur de Comite Mansfeldio, quem copijs è diuersarum nationum
colluuie, in vnum corpus, siue potius monstrum conflatis, fama erat, qua-
tuor potentissimorum Regum, personam sustinere, vt maiori cum maie-
state vinceretur, & post Pseudoreges, quatuor veri Reges Cæsareis armis
Subigitur Cæsareis armis Palatinatus.
vno prælio magnificè funderentur. Nec vnica tantùm, sed gemina eodem
prælio victoria parta est, reddito post captã Heidelbergham, arcem prin-
cipem, Palatinatu, Deo simul, & Cæsari, reuocatoque ad suam priscam
patriam Catholico ritu, dudum proscripto. Arridebat post tot bellorum
sanguineos nimbos, è ferrugineis nubibus læto nuncio Iris veluti cælestis,
mater pacis, tranquillæque serenitatis, cùm noua illam belli tempestas
disiecit, atque iterum Germanicum Cælum fœdè inhorruit, ingentes de-
inde iras depositurum. A Daciæ Rege FERDINANDO Cæsari bellum
indicitur, inferturque; sed cæsis eius copijs ad Calembergam, Lubeccam,
& alijs in locis, subactâq; omni eâ regione, quæ inter Visurgim, & Albim,
vsque ad Balthicum Oceanum interiacet, ipsâ Holsatiâ, & Cimbricâ
Chersoneso debellatâ, Danus deleto exercitu fugatus, vulneratusq; ad pe-
1623. tendam pacem adigitur. Admirabilis fuit victoriæ modus, ac procul du-
bio è cœlo delapsus, quam de Alberstatensi Duce, Dani Regis rem belli-
cam moderante, retulit inuictissimus Tyllæus, Cæsarianarum copiarum
Ductor. Coniurato siquidem aduersus Danos Cœlo, quos fulminalium

ma-

machinarum tonitru, fulgur, ac fulmen, non profligarat, fumi nebula primam mortis imaginem, quam æterna cæcitas mors ipsa sequebatur, obijciens prostrauit, & Austri, pro Austrijs ab Æolia Empyrei immissi pugnauere. Iterum etiam Mansfeldius, luculentam cladem accepit, eâ ipsâ laureatâ die, quâ FERDINANDVS in Arbitrantium Septemuirum Senatu, inauguratus fuerat, Imperij insignibus. Eodem siquidem Horoscopo felicitatis, quo FERDINANDO Imperium natum erat, etiam seruabatur, nimirum in Austriacâ Domo pene dixerim cælesti, Dominatore Deo, contra cuius hostes Romanarum Aquilarum victricia signa à FERDINANDO inferebantur. Ausa est Austria ipsa, quam veteres Chronographi Germaniæ cor appellant, nos etiam caput dicere possumus ab Austriacâ Familiâ imperante, post tot Regias victorias bellum plebeium mouere Pijssimo Principi, centuriatis ipsis agrorum cultoribus. Non vacabat tamen periculo rusticana coniuratio, quia quidquid erratur à capite insania est, & lethale vulnus quidquid peccatur in corde. Sed statim FERDINANDVS suis victor occurrit, qui triũphator prædicabatur etiã apud externos. Iussa est Austria tota Austriacos fasces venerari, & bellum hoc paganũ, maiori felicitate, quia summâ celeritate, quàm seruile Romanum sopitum est. Pacata sibi Germania, tota iterum bellatrix cum Cæsareo milite in Italiam migrat, peregrinorum armorum toties campum, & spoliatium, ac Mantuæ nobilissimæ vrbi admota, post longam obsidionem illam subigit, dubiâ adhuc opinione, plusne illa Mantuana expugnatio vtilitatis, an detrimenti attulerit Austriacis rebus. Certè longus luctus Mantuanis Cycnis etiam non moribundis in vastitate, & ferè dixerim busto opulentissimæ vrbis, arcisque totius Europæ munitissimæ, in funere alieno, sed communi, indictus est.

1626.

1628. *Mantuana expugnatio.*

1630. 19. *Iul.*

Interim Hæresis ex inferno serpente Cadmæos dentes crescentis semina belli spargens, totum iterum aduersùs Pium Cæsarem Septentrionem, armabat. Nisi ferro, & igne non piâ manu, sed Herculeâ, omnia simul hæreticæ hydræ capita plectantur, sobolescit statim eorumdem capitum numerosa familia. Aquilone procellis grauido aduersùs Austriam felicitatem mugiente, ferenteque è glaciali mari madentibus adhuc alis stillantes tempestates Germania ferè è suis sedibus emota est. Scilicet

Bellum Suecicum cũ Gustauo Adolpho Rege.

Armorum sonitum toto Germania Cælo
Audijt, insolitis tremuerunt motibus Alpes.

Virg. 1. Geor.

Primus ipse Gustaui Adolphi Sueciæ Regis ex vltimo Septentrione, Seminario illo barbararum nationum, quæ perniciem sæpius Romanis Imperatoribus, & ferè humano generi attulerunt, accessus, cum innumerabili Gothorum, Vuandalorum, Finnorum, Finmarchiorum, Finlandorum, colluuie formidandus fuit. Adiuncti sunt Pomeraniæ Dux, & Hassiæ Landgrauius, cum Saxone, & Brandeburgico Septemuiris. Francofurtum, Hanauia, Norimberga, Spira, cum Argentorato, & alijs magni nominis Imperialibus vrbibus, adiectæ sunt Suecici Regis bellicosissimi, ac victoriosissimi potentiæ, partim vi victæ, partim fœderibus vinctæ. Hinc Cæsariano exercitu sub magno Tyllæo summo militum Ductore, toties victore, palmario prorsus viro ad Lipsiam profligato, non solum vsque ad Rhenum,

1630.

1631.

ac Danubium, sed vsque ad Rhæticas alpes Suecicus veluti Alexander fulmina, quibus ferebatur intorquens, eodem cursu gloriæ pugnator, victor, ac
1632. triumphator, ducentis fere vrbibus, Austriaco Imperio ereptis, Lindauum, inter alpium claustra oppugnans, ipsi iugulo Italiæ, & Europæ cordi, ferrum, quod tot laureas messuerat intentauit.

Claud de l. Stl. 3.

Omne quod Oceanum, fontesq; interiacet Istri
Vnius incursu tremuit

Miratique ipsi ferè sunt

Sine cæde subactus
Seruitio Boreas, exarmatique Triones
Tempore tam paruo.

Fama interim multorum linguis loquens, omnia de more, in maius augebat. Expectabatur solemne in extremis rerum Austriacarum articulis, è Cælo fauentissimi Numinis prodigium, ac veluti fati auxilium. Ad fuit opportunissimum, nunquam Cælo fallente sui FERDINANDI Pietatem. Cui verò Principi Cælum se magis impenderet, & exhauriret largitione bonorum, cui militaret victoriosius coniuratis etiam miraculis, quem auspicatius inopinatis triumphis supra politicorum coniectorum iudiciaria pseudooracula, destinaret, quàm illum, qui nunquam silente classico celi hostibus æternum bellum indixerat? Magnis habitis per totam Germaniam delectibus militum, comparatoq; amplissimo exercitu, cui triumphales illi Triumuiri Bauarus, Vualdestheinius, Poppenehinius præerant, profligato prius Hornio, ingenti ad Bambergam strage, & expulso à totâ Bohemiâ Saxone Septemuiro, iisdem campis, quibus anno superiore certatum fuerat, orbis terrarum, & Imperij fata felicissimo euentu committuntur. Enimuerò cæso Adolpho Rege, qui Regali sanguine solum infecit, adhuc Tyllianæ cladis recenti sanie perfusum, & ferè dixerim non cruore magis, quàm pudore erubescens, vehemens ille Gothicus turbo, Aquilonis alis, biennalibus procellis Germaniam percurrens, tot fulminibus grauis, Austris cum Imperio potius, quàm cum violentiâ aduersantibus, expirauit. Ità Suecici Aquilones, Austriacis Aquilis cessere,
1632. 16. Nou. & concepta non Germaniæ tantùm, sed totius Europæ tyrannis, supra veteres Gothorum, Vuandalorum, Hunnorum, Longobardorum inundationes Adolpho occiso in semine elisa est, priscaque religio, quæ ruinam sub Trionibus minabatur, stante FERDINANDO suo triumphatore Hercule, domitisque monstris omnibus, stetit. Per eosdem dies etiam Fridericus Palatinus primus Germanæ tranquillitatis, rerumque Austriacarum perturbator, obiens timeri desijt, vnde sua facies Germaniæ reddita fuit.

Fridlandius Cæsari perduellis noua molitur et detecta cõiuratione de medio tollitur.

Quiescebat sub suis palmis laureata, ac triumphalis FERDINANDI Pietas, cum totius Germaniæ virus in vnum Fridlandij furijs ambitionis, nimirum insanis Bohemicæ coronæ votis agitati caput migrauit, dum eius nutibus ferè totius Imperij vires nitebantur. Sanguinaria Vualdestheinij consilia auctorem, antequam omnino in publicum prodirent, suffocarunt, cùm alioquin de eius perfidiâ satis, superque constaret. Medio in orbe terrarum Principes viri viuunt, factique proceri, cùm Proceres etiam è longinquo spectantur. Palatinis sceleribus, quæ purpuram induunt,

duunt, & in auro ſplendent, vix poteſt ſecretum dari. Occupatur cum ſceleſto in foribus ſcelus, & ſub Pij Imperatoris auſpicijs Fridlandio cum Illoo, Terſica, & Scinchio bipenni haſtá transfoſſo, loricatum ampliſſimo exercitu pectus, palmari ferro transfoditur. 1634.

Hinc ſæcula diſcant, *Cl. de*

Indomitum nihil eſſe pio, tutumue nocenti. *Hon. conſ.*

Nullum eſt vallum, nullá foſſa magnis flagitijs, etiamſi montes, & maria obijcias. Acceſſit ad cumulum felicitatis reportata de Suecicis reliquijs, capto Hornio, Vaimarioque fugato ſcientiſſimis rei militaris Ducibus, ſingulari poſt homines natos victoriâ, ab vtroque FERDINANDO Germanico, & Hiſpanico Filio, & Sororis Filio, quibus nominibus nihil dulcius Cæſari eſſe poterat, aut maius.

Hoc bellorum, ac victoriarum curſu FERDINANDVS Pius Imperium Auſtriacum octodecim annis ſuſtinuit, amplificauitque, totidem prorſus à RVDOLPHO I. Magno fundatum, Principe Auguſtæ gentis, quem non vitæ tantum regnatoribus annis, ſed virtutum numeris ęquauit, opinione felicitatis non abſimilis, par morum facilitate, pietatis titulis maior. Tandem in eo pietatis ſinu, in quo vixerat deterrimo ſæculo optimus Imperator ſanctiſſimè obijt, & Cæli, pro quo pugnarat, ac triumpharat, Capitolium, ſuccollantibus, currumque triumphalem trahentibus hæreſi, ac perduellione, zelotypæ religionis flagello cæſis, inuectus eſt. In ipſo vitæ, mortiſque confinio admonitus ſupremæ neceſſitatis faſtos ſuos ingenti ſuæ virtutis teſtificatione coronauit dicens: *Ego ex ijs quæ meliora putaui nihil omiſi*, atque inde plenus fide æternorum, ſpe beatitudinis, Numinis amore, inter has tres chriſtianas Charites, Cælum petijt. O morientis innocentię cantum olorinum, immortalem tamen, qui cælo, terriſq; in ęuum dulciter ſonabit! Sed Auguſta FERDINANDI pietas in eas anguſtias cogi nō poteſt, vt à me deſcribi poſſit, aut debeat, nobiliorem iam actorem calamum ſortita, ac theatrum maius in Auſtriacis Annalibus. Ea dicta ſunt grato calamo, quę magna veritas extorſiſſet ab ingrato.

1634. 14. Feb.

Obitus Ferd. Pijſſimus.

Infantiam Pietas FERDINANDO fere abſtulit; quæ enim ætatis acerbitas, vbi eadem ſemper fuit maturitas Pietatis? Eadem diuinorum conſiliorum interpres, ac nutuum vicaria, ſeptemuiralia ſuffragia collegit, & Auguſtis inſignibus decorauit; debuit enim quod regnaret FERDINANDVS non tam pio generi, quam generoſitati pietatis. Nulla virtus quæſtuoſior eſt pietate, vltrà inuidiam tamen, & citrà ſordes. Eadem totum FERDINANDI Imperium, omneſque Imperatorios annos, Deo conſecrauit, oſtendens ad certamen virtutum, ad prodigium ſæculorum, quid ſumma fortuna cum ſummâ pietate poſſet. Eadem immenſum in ſuperna omnia amorem, ſub FERDINANDI Cæſaris purpurâ nutriebat, ſanctiſſimis tantum hiſce flammis accenâs, ac fulgurante. Incredibilis erat ardor pietatis, quo erga Deum rapiebatur, in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ diuino ferculo Regnantem, veluti in ſolio gratiarum, apertiſſimis prodigijs Fundatorem Auſtriacæ potentiæ in primo RVDOLPHO, Amplificatorem in MAXIMILIANO I. in FERDINANDIS Imperatoribus, ac PHILIPPIS Monarchis Seruatorem. Ita Euchariſtico Deo, poſt

Religio erga Auguſ. Euchar.

V 2 omnes

omnes victorias festo agmine, plausu, & supplicationibus Christiano ritu decretis, Eucharisticon instituit gratiarum, vt ille solus triumphare in candidâ veste videretur, FERDINANDVS Cæsar, miles laureatus triumphum sequi. Non nisi hac cæli annonâ Antistitâ Pietate affatim distributâ firmabat militem, atque ad victoriam inaugurabat. Ab hac diuinâ hostia habuit, vt tot hostes homines vinceret. Nec minus pio ardebat cultu in MAGNAM DEIPARAM: Hanc exercituum suorum Imperatricem vocabat. Illi sæpius in manibus precarij globuli, quibus tamen ipsi eiuratæ fidei hostes, dicebant formidandum magis esse FERDINANDVM, quàm cùm maioribus globis fulminalium tormentorum eius exercitus tonarent. Nec mirum inde si Borealem Anguem è Sueciâ irruentem, & iam cominus aggredientem, non timuit, illa Auspice, quæ virgine plantâ caput magni serpentis, cuius solium in Aquilone sublime est, contriuit. Vnde in Suecico turbine, lacerato publico Imperij nauigio, cùm omnia naufragium minarentur, Cæsar insultare his placidissimis vocibus auditus est procellæ mugienti: *Deus me ex hac etiam aqua eruet*. Et certè videbatur FERDINANDVS Austria illa Crux quam stellantem in suo cælo Antipodes vident, Cynosura antarctici poli, prorsus immersabilis. Assiduus quoque in templis Cælitum cliens, nunc Imperatorias curas aliquo sancto Interprete Numini commendabat, nunc captabat è cælo dictata consilia, nunc bella sacrabat, nunc dicabat victorias, nunc intorta in suos iacula robustâ prece retorquebat in hostes, & lacrymis suis pro thure substitutis, Numen orando placabat. Quoties hic pietatis Gigas passis manibus cælum expugnauit, & demissas è cælo apud altaria victorias inuenit, dum eius milites illas ferro scrutabãtur in campis? Quoties armatâ flagellis piacularibus Reginâ, dexterâ suo sanguine dibapham verè purpuram tingens, exercitus expugnauit? Quoties solo cilicio loricatus propugnauit imperium, vnum opponens armato Septẽtrioni pectus suum? Hinc inclytus ille amor, iam Austriacis hæreditarius, seruandæ, propugnandæque in immensum religionis. Innumera templa extruxit ferè tot, quot hæretici hostes euerterunt, Henrico sanctissimo Germanico Imperatore, mille templorum conditore fortasse non minor. Erectis etiam Academijs, aduocatis auxiliarijs Religiosorum manipulis, vbiq; prouidit, ne deessent propugnandæ religioni, hæresique propulsandæ munitissimæ arces, ac fortissimi toto cælo armati milites, quibus nullos fideliores agnoscebat prætorianos sui corporis custodes.

Deiparæ cultus.

Eius omnigena pietas.

Hinc etiam Imperator ille genius, malis omnibus, quæ nulla rerum domini reuerentiâ tanguntur, dominans, nec mortalibus tantum imperans, sed quasi mortalitati vniuersæ. Certè in Rempublicam sensuum suorum ita ius exercuit, vt nunquam illam senserit ferè, tot rebellantibus populis, Cæsari infidelem. Eâdem vultus serenitate prorsus cælesti audiebat clades exercituum, ac victorias, raptas in prædam, recuperatasque prouincias, proditiones Procerum, & adactos ad iurandam Cæsari fidem Principes, populorum amores, & odia, suorum plausus, & hostium conuicia; quasi orbis terrarum Apex FERDINANDVS suprema illa mundi pars esset, quæ ventis, fulminibus, pluuijs nunquam turbatur, atque inconcussâ

Summa æquanimitas.

fruitur

fruitur pace, supra omnia aeris bella ciuilia, congressusque bellatorum semper elementorum. Dixisses cum aliquibus etiam, nec immeritò FERDINANDVM II. Pium Austriacum illam nauim, quæ in cælo australi, illustris irradiat, & per Cæli, non maris æquor nauigat, ęternâ malaciâ longè supra nostrates procellas, tranquillis circumlata sideribus; ita semper veluti pacato in æquore, magnarum virtutum remigio velificatus est ad portum felicitatis. Nec mirum inde sepius inundanti heresi, non alium aggerem obiecisse, quam animum suum pacatum omnium victorem, paratum potius, vt sepius dixit, non sine stupore audientium, *Regno excidere, & extorrem cum Augustâ coniuge, ac liberis viuere apud exteros Principes, quam descendere è culmine, in quo regnabat, Religionis*, cùm nollet regnare, ancillante Religione, neque recta existimaret consilia politica, quę in Deum non tenderent, sine erroribus, per lineam breuissimam synceræ Pietatis. Neminem, communi cum Deo causâ putabat fidelem Imperatori, qui Dei fidem abiecisset, satius ducens in impiorum odio, quàm amore versari, à quo abhorrebat, tanquam ab vmbrâ impietatis, cùm præsertim sciret serpentes viperas hospitalem vterum lacerare, & mordere manum blandientem. Fuere qui dixerunt FERDINANDVM Cæsarem sub imperatoriâ coronâ Pontificis mentem, sub Augusto paludamento Monachi pectus, sub regio sceptro Sacerdotis manum animasse, & abscondisse. *Syncera fides.*

Exaggerata in Cælum Pietas in homines etiam copiosa descendebat. Solem dixisses qui alioquin Magnorum Principum colossæum simulacrū est; ita FERDINANDVS bono semper publico splendebat, non suo, totus Pietas. Et certè solis instar vbi se non prodit pietas ibi non est: noctis nescia, se numero, & magnitudine beneficiorum detegit, radijs veluti suis, & mole. Nihil magis diuinum censebat, quam ingentia bona communicare, etiam non petentibus, & plurimis; nam & nimis carò emitur, quod rubore, qui petentis sanguis est, vulnerato corde ad os erumpens, & iniuria fit magnis bonis, si contrahantur ad paucos. Illud aurum non placebat, quod vel splendorem ab altaribus non acciperet, vel miserorum manibus, oculisque non conferret. Neminem putasses imperante FERDINANDO in Austriaco Imperio pupillum; ita omnium Patrem agebat. Nulli non opem ferebat è suis opibus, videbatque hoc ipso accipere beneficium, quod conferret, Alchimia pietatis suæ beatitati fęnerans ex alienis miserijs, illudq; demū Austriacum censens esse, omnes homines felices creare. Nunquam adfuit publicis iudicijs, quin pęnas sceleri um temperaret, iungens Iudici Principem, & Principi simul Patrem. Clementiæ Regnatricis manu iustitiæ lances librate, minus scelerum pondus sentiunt, manu ad indulgentiam inclinante. Ipsorum suorum hostium vix hostis esse poterat, pijssimus Cæsar. Cum è militari speculâ tormentorum Magister in rebelles aliquot Proceres, simul in vnum globum densatos, ictum fulmineum destinasset, manum incendiario funi admotam his vocibus, quibus ipsius tonantis æris fulmen extinxisset, repræhendit: *Viuant quousque Deus vindex vlciscatur*. Et iure in causâ Communi Dei, & FERDINANDI vindictas Deo reseruari voluit. Quid inde mirum si hostes *Beneficentia.* *Clementia.*

ipſi mutato in ſtuporem odio, admirabantur virtutem, quam oderant, confeſſi palam FERDINANDI Cęſaris Pietati Cęlum militare. Excitauit Maieſtate Sanctitatis ſuorum reuerentiam, belli victorijs externorum plauſus, miraculis virtutum pręſtantiſſimarum omnium admirationem, dubiumque reliquit, plus ne illum ſubditi dilexerint, an hoſtes prædicauerint, quibus tamen moribus ſuis ſupplicium inferebat, cùm nihil nocentius ſit aduerſus perduelles, Principis innocentiâ. Suis deinde neceſſitatem ferè fecerat pietatis, vnde migrante in laudem conuicio dici poterat contra illius cynicum laconiſmum; *exeat aula, qui vult eſſe pius*, de Aula FERDINANDI Pij: Accedat ad aulam qui vuult eſſe pius. Norma virtutum videbatur; præſentiâ enim ſuâ omnem prauitatem corrigebat. Sed ò me Læuum ſi velim omnigenam FERDINANDI pij explicare pietatem, quæ ſicuti imitationi, ita prædicationi *non plus vltra* erexit!

Ex eius gymnade egregia illa fides, inſignis illa māſuetudo, incredibilis illa bonitas, altiſſima illa prudentia, perpetua illa æquabilitas, ſumma illa fortitudo, conſtantia illa vbique inuicta, illa religio vbique triumphalis, omniumque FERDINANDÆARVM virtutum chorus, concentu quodam amabili prodijt. Maior rebus mortalibus FERDINANDVS Pius, omnia attigit virtutum faſtigia, cedentibus omnibus ferè vitæ imperatricis momentis æuo dignis, in cultum Pietatis. Non aliter penè dixerim viueret Pietas, ſi naſceretur ex hominibus, & regnaret. Eam, quam Auſtriaca Domus geſtat in pectore ad Cæli inuidiam, lacteam innocentiæ viam, ſi non gentilitiam inueniſſet, potuiſſet FERDINANDVS II. Pius Auſtriorum Cæſarum XII. condere. Pietatem exercuit, qualem prophanis illis tēporibus in Lycurgo Spartani, in Numâ Romani, in Ariſtide Athenienſes exoptare poterant, & Chriſtianis ſæculis admirata eſt Hiſpania in Ferdinandis, Gallia in Ludouicis, Anglia in Eduardis, Dania in Canutis, Germania in Henricis, & Orientis, Occidentiſque Imperium in magnis Conſtantinis, & Carolis. Certè cum in annalibus lego Bohemiæ Vuincislaos, & Caſimiros, Hungarię Stephanos, & Ladislaos, Burgundiæ Sigiſmundos, Auſtriæ Leopoldos ſanctiſſimos Principes magnā FERDINANDI exemplaria archetypa agnoſco, ita vt viſus fuerit, non Regnorum tantum pijſſimorum illorum Regum, ſed pietatis, & omnium virtutum hæres. Eius Pietati, quæ Thaumantis fuit, tot miraculorum architecta, adſcribatur, Orthodoxæ fidei, magna ex parte Septentrionem ſtetiſſe. Vos ſuperi cùm tanti viri plauſibus, ſatis eſſe tellus non poſſit, veſtros de cælo addite: acclamate & dicite hæreſeos fulmen, Eccleſiæ clypeum, Imperij coronam, pietatis Antiſtitem, ſacrarium, ac templū! Ego, quia tam Auguſta pietas prophano ſtylo potius vulneratur, quàm ſcribatur, interim cum orbe terrarum, omnibuſque ſeculis tacitus illum cum ſtupore venerabor, vbi in huius annuli palā totum Heroem ita concluſero. FERDINANDVS II. IMPERATOR PIVS. Hæc omnium elogiorum ſit immenſa epitome, palmaria laus, & miraculo proxima. Quid enim Auguſtius in orbe terrarum, quid inter homines Diuinius, Imperatore Pio, & Deo ſimillimo?

Inſigne gentili in Auſtria domus.

FER-

FERDINANDVS II. PIVS.

Apotheosis.

FERDINANDO II. MAXIMO PIO
Apotheosim exhibet maxima illius pietas,
Quæ pium fecit simul, & maximum.
Beabunt mortuum simul cum Pietate illæ virtutes,
Quæ viuentem cælo consecrarunt,
Et immortalitate donabunt.
Omnes has ducit,
Pietas in FERDINANDO Imperatrix.
Aliæ armatæ sunt in hoc cælesti triumpho, aliæ inermes,
Omnes tamen laureatæ de FERDINANDI laudibus certant,
Et dum aerem plausibus feriunt,
Eundem vulneratum, cantibus mulcent, & sono sanant.
Omnium virtutum chordis, & musici Cæli fidibus,
Ingens vnius FERDINANDÆI cordis fides celebratur.
Tum sola Pietas virtutum Antistita,
Ignem empyreum cum Arabia cælestium odorum
Amore incendiario cordium innocenti, ferens
Augustæ pyræ sacram facem his subijcit verbis.
Quia FERDINANDVS non aliam cognouit
Cęsaris fortunam,
Quam Numinis religionem,
Et supra æternam fidei constantiam solium firmauit:
Quia amore cælestium purpuram accendit,
Fortitudinis dexterâ triumphali sceptrum gessit,
Et adamantinam patientiam aureæ prudentiæ
In diademate Augusto inseruit:
Quia ferrum in nomine ferens, aurum in moribus,
Rebelles subdidit potentiâ, Subditos liberalitate erexit,
Et ferro victore ferreum sęculum fundens
Præ-

Pretioſis moribus aureum recudit:
Quia omnes virtutes in ſe dedicauit Auguſtas,
Voluitque ſe Auguſto imperare Pietatem,
Pietas cum alijs virtutibus
Cælo locat,
Apud Deum in beatitate ſemper victurum,
Apud homines numquam moriturum in famâ.

SYNOPSIS GENEALOGICA.

A FERDINANDO II. PIO AD FERDINANDVM III.

FERDINANDVM Pium, & Magnum, prole etiam Pia, & Magna Cælum beauit. Hac nihil Augustius è cælo spectat Pijssimus Imperator in terris. Præter IO. CAROLVM, quem cælo præmisit obeunti superstes fuit par Heroum atque Heroidum.

FERDINANDVS III. Ernestus Cæsar inuictissimus,
LEOPOLDVS GVILLELMVS VI. Archidux Austriæ, & Belgij Prorex,
MARIA ANNA Bauarica Electrix
CÆCILIA RENATA Regina Poloniæ.

CÆCILIA Vladislao Poloniæ, & Sueciæ Regi gloriosissimo nupsit, reddiditque, quod ex Iagellonicis Heroinis mutuatum acceperat Austria Gens, omnium nimirum virtutum dotem. Romanæ Aquilæ Polonicis Fascibus iunctæ, nihil non auspicatum dedere. Sed non diu splenduit tantæ felicitatis Aurora, omnium populorum, quibus imperitabat votis digna, quæ æuum purpurasceret. Hæc est inflicta mortalibus pœna, vt magna apud nos ferè nunquam diutina sint.

MARIA ANNA etiam ipsa numerorum omnium Heroina, Maximiliano Boiariæ Duci Septemuiro collocata est, magnis Auspicijs Austrium, Bauarumque sanguinem semper iungentibus, post quam præsertim in vnum Imperium sub Leopoldo S. LEOPOLDI AVSTRIACI Filio, Austrij, Bauarique Principes coaluerunt. Vtriusque Domus tot Heroes sunt, quot Hæredes. Iam nulla ferè in Germania claustra essent, inundanti hæresi, nisi Austrij, Boicique, Hercules, Abilam, & Calpem statuissent. Maximilianus Bauarus nobilissimis victorijs, dignam probauit orbi terrarum dexteram, quam iungeret Austriæ Heroinæ. Vnde non immeritò pro nauata triumphali opera à FERDINANDO II. Pio, Septemuirali calculo donatus est. Nihil est quod Bauarica corona exoptet, quando pretiosissimum calculum, toti Orienti inuidendum, quem nescio quo pacto amiserat, recuperauit. A Theodone primo Agelophingho Boiorum Duce sexagesimus, sub Friderici ÆNOBARBI Imperio, a magno Vittelspachio, nobilissimo Heroicorum Principũ ordine, non interrupta serie deducitur, Vuilhelmi Religiosi filius, & parens Ferdinãdi Mariæ Francisci Ignatij Vuolfangi, cui maximæ spei Principi adprecari lubet inuictissimam & FERDINANDI Cæsaris Auunculi, & Maximiliani Parentis fortitudinem, ac religionem Virgilianis versiculis.

Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles
Et pater Aeneas, & Auunculus excitat Hector? *Virg. Æn. 12.*

Hæreditarium est Maximiliano, eritque Ferdinando perennaturum etiam in posteris celebratissimum illud a grauissimo orbis terræ Concilio Tridentino elogium Alberto Magnanimo Bauaro dictum. *Veram & Catholicam religionem a clarissimis, & nobilissimis Maioribus suis traditam tanta fide, & constantia conseruauit, vt hisce miseris temporibus in tota Germania firmissimum Apostolicæ Ecclesiæ propugnaculum iure optimo habendus sit.*

Archidux LEOPOLDVS Clauo fluctuantis Belgij, ac fere naufragæ Reipublicæ admotus, eandem quam Pater, Fraterque Cæsares inuictissimi Cynosuram respexit fortissimæ Pietatis, & quos bellorum turbines edomare arduum erat armata manu, eadem inermi composuit. Nunc etiam summa felicitate, ac prudentia rerum instaurator, hostiumq; terror, vt serenitatem pacis pariat disiectis diutini belli nubibus ferro fulminat.

& volentes
Per populos dat iura, viamq; affectat Olympo. *Virg. 4. Georg.*

Fauete superi, & quando FERDINANDVM Austriacum PHILIPPI IV. Maximi

Monarchæ Fratrem Heroem inuictissimum Belgio ferè tantum ostendistis.

Virg 1. Georg.

Nunc saltem euerso Heroem succurrere saclo
Ne prohibete.

Non timebunt Aquilones Hæreticos Austrij Heroes, qui indicos Typhones suis auspicijs, nedum armis, difflarunt. Austriaca felicitas, cum lauris, palmisq; nata, inter tonitrua, ac fulgura tuta est, inclinata resurgit resumens è pondere vires. Nemo, non fortis nascitur in Austriaca palmaria domo, in qua Indigetes virtutes dixeris, Heroes lares. VItimus hic tibi LEOPOLDE, Heroicus labor erit, post acies bella debellare, ac triumphali pace, pugnas ipsas expugnare.

Virg. 1. Æn.

Aspera compositis mitescent sæcula bellis,
Cana fides, aliæque virtutes omnes inter otia.
Iura dabunt: dira ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ; furor impius intus
Saua sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Interim LEOPOLDO amplum pro omnibus laudibus elogium sit FERDINANDÆVM Patris, & Fratris nomen.

In FERDINANDO ERNESTO inter Austriades VI. inter Cæsares III. pijssimè nunc, & felicissimè Romano Orbi imperante adhuc superstes pater viuit. & immortalis illa fortissima Pietas FERDINANDÆA omnium virtutum nominibus coronata: vnde nihil amisisse se senserit obeunte FERDINANDO II. orbis terrarum. Hic omnium auitarum imaginum Imperatoriarum colossus giganteæ manus robore, cum mundo rerum habenas rectas, stabilesque sustinet: efferum, semper cum suis Vrsis, & Anguibus Septentrionem domat: de cælo in hostes fulminat summa pietate cælestibus auxilijs innixus, & cælum tam augustis debitum virtutibus de terris expugnat. Hic post duodecim Gentiles Cæsares, in Austriaco Zodiaco Sol iam vtrumque orbem illustri nominis fama impleuit, & per vtriusque solis vias, inter monstra stellantium virtutum currum egit gloriosissimæ lucis, quod in sole mireris, nunquam occasuræ. Hic omnium Cæsarum fortunam vnus vehit, inter tot turbines procellosi sæculi tutam, atque impauidam, etiamsi fractus illabatur orbis. Hic simul hæreseos Profligator, religionis Propugnator, Fulminator hostium, Pater populorum, Literatorum, omnisque sapientiæ amantissimus, de terris, cæloque optimè meritus, non solum Magnos Augustos Romano Orbi, magnos Imperio Occidentis Carolos, magnos Ottones Germaniæ reddit, sed omnia implet FERDINANDÆI nominis in Hispania, Germaniaque sanctissimi semper, ac felicissimi prodigia. Iungit nunc etiam ad cumulum felicitatis Austriam Austriæ, gemino auspicatissimo hymenęo. Inter tantæ faustitatis plausus imperātibus FERDINANDIS, ac PHILIPPIS, immensæq; felicitatis fatum vtrinq; iungentibus.

Cl. lib. 2. de l. Stil.

ite optati mortalibus anni:
Ducite virtutes, hominum florescite rursum
Ingenijs.

Interim Austriaci Orbis Romani, Hispanique Regnatores, FERDINANDE GERMANICE CÆSAR MAXIME, & PHILIPPE MAXIME HISPANE MONARCHA, qui concordi nexu omnium bonorum coniugia sociatis, in æuum fælicissimum æterna posteritate perennate.

Cl. l. 2. de l. Stil.

Nam Domus hæc vtroque petit diademata nexu,
Reginasque parit, Reginarumque Maritos.

IMPE-



Fed. Agnelius sculpsit

IMPERATOR CÆSAR FERDINANDVS III.

PIVS, FELIX, AVGVSTVS,

REX GERM. HVNG. BOHEM.

DALMATIÆ, CROATIÆ,

ARCHIDVX AVSTRIÆ

DVX BVRG. STIR. CAR. CARN. SILES.

PRINC. SVEV. MARC. MOR. LVSAT. BVRGOV.

LAND. ALS. COM. HAVSP. TYR. &c.

ADeo etiam Augustale tuum FERDINANDE, non triplici tantùm Regno, Hungarico, Bohemico, Germanico, sed inuictissimâ felicitate, fortitudine, religione, TER-MAXIME, & ante Tui Solij à tot populis adorati fastigium, sisto tuos in te maximos Maiores tuos. Agnosce quas plura sæcula sparsere, in te collectas Coronatas virtutes,& Augustas.Hę exanimes, non fumosæ, sed serenissimæ Austriadum Imperatorum statuæ,indigetes lararij tui Heroes in Te spirant,ac Tibi statuuntur in basim, vnde Colossus assurgis supra communem etiam Maiorum tuorum Cæsarum fortunam spectabilis. Ea felicitas,quâ RVDOLPHVS Austriacum condidit Imperium, ea fortitudo, & constantia, quâ ALBERTI, FRIDERICIQVE seruarunt, ea magnanimitas quâ MAXIMILIANI auxerunt, ea prudentia & iustitia quâ gemina fraterna huius sæculi sidera in Austriaco Cælo RVDOLPHVS, & MATTHIAS illustrarunt, ea potentia, quâ CAROLVS in vtroq; orbe propagauit,ea religio,quâ FERDINANDI Proauus & Pater, qui in te potissimum auspicatissimo quoque nomine toti elucent, cælo extulerunt, hæreditarij tui iuris Magna Nomina sunt, imò tu ipse horum Nominum Magnus hæres. In te cadit hęc nobilis linea, ibitq; ex te in alios FERDINANDOS indulgentibus superis ad mortaliũ ferè omnium vota progenerandos, mundo, ac sæculis maior, cælo tantùm contermina, & æuo confinis. Sed supra cæteros Gentiles Heroes, quantum instar habes Pij,& Maximi Parentis, vnde Te ipso,& Parente tuo Ma-

gnus, vnus ex duobus, quantus ipse tu es? Hæc tibi ingenita FERDINANDÆA fortis Pietas Eurystheus tuus, non seueris, sed placidissimis imperijs tot tibi herculeos labores imperauit, quos Diuûm e sanguine inuictissime Heros exantlasti. Hæc tibi etiam ante imperium Augusto, perduellionem edomuit, hæresim fregit, inuidiam prostrauit, fidei necessitatem imposuit ipsi perfidiæ rebellanti, fecitque vt tumultuantia regna, quæ manui victrici reuerentiam detrectabant, exardescente in fulmen triumphale sceptro, eius potentia icta, abiecta sisterentur ad pedes. Potuit lætari maximus Parens tuus, dum tu sęculi nostri decus, fortissimâ religione Germanice Triumphator tantam de illo faceres fidem, & ille iam Maximus de tuis etiam cresceret factis. Adhuc Rhenus, Danubius, Albis, Mænus, Visurgis pleno vbere, & amanti sinu, eas lauros nutriunt, quas triumphali tuo Capiti Inuictissime, & Victoriosissime FERDINANDE germinarunt. Adhuc laureati hi fluuij, tuarum, quas spectarunt, immurmurant prodigia victoriarum perpetuo vndarum sonantium plausu, fatenturq; non cadauerum tantûm strue, sed admiratione, Te victore fuisse suspensos, & in alieno tuorum hostium sanguine vulneratos, pro te pugnasse. Adhuc opulentissimæ, ac munitissimæ vrbes Donauerda, Augusta, Norlingha, Vormatia, Vberlingha, Friburgum, Norimbergha, aliæque innumeræ, quas tuæ pugiles tot palmarum Imperatoriæ manus expugnarunt, submissas tibi turritas frontes inclinant. Inscribet prima tuæ glorię fastos Ratisbona contra coniuratas totius Germaniæ vires, cùm exercitu ferè careres, Tui penè dixerim pectoris solá constantiá loricati vallo, fortissimè defensa. Signabunt gloriosè Austriacos annales Moguntia summâ felicitate ipsâ quasi solâ tui Maiestate Nominis capta, ac restitutus in Septemuirale Solium Archiepiscopus Princeps, de victoriâ certantibus beneficentiâ, & fortitudine, omnibus tamen vnâ voce FERDINANDVM beneficum, ac fortem victorem proclamantibus. Adhùc FERDINANDÆVM tuum nomen, cum lauris, palmisque natum inter Morauas, Bohemicas, Virtembergicas, Sueuicas, Franconicas, Vuesphalas, victorias sonat. Agnouit iam triumphatores sui Germania, vbi audit FERDINANDOS. Illius verò nobilem, felicemque victoriæ Norlinghanæ gloriam, quæ nam ætas in famam conuersa, millenis auribus non excipiet, totidemque linguis, ac tubis non reddet? Quantis illa Deus immortalis! auspicijs inuecta est, iunctis Austriacis FERDINANDIS Germanico, & Hispanico, magnisq; nominibus toto cælo aduersùs armatam hæresim pugnantibus? Vt placaret tandem purgatum monstris terrarum orbem Germanus Hercules, cum Hispano Theseo socia arma coniunxit. Quis amplius ipsa inferna monstra timeat cum his Erebi triumphatoribus? Coniurauere vibratis ad vnum centrum fortissimæ pietatis radijs, lucidissima Australis Cæli sidera, altero alterius mutuis splendoribus in coniunctione vim beneficę lucis augente. Inimica Cęlo perduellis hæresis sensit tandem duo fulmina belli AVSTRIADAS FERDINANDOS, qui ferro nominis triumphali armati, ferentibus victricibus Aquilis aligeram prorsus miræ celeritatis victoriam, omnium sæculorum memoriam coronabunt. Insederat vni colli Norlinghano totius Germaniæ salus: in

illo

Bella a Ferdinãdo III. Cæs. feliciter gesta.

Ratisbonẽsis propugnatio.

Septẽuir Moguntinus sua vrbi, Principi, & solio redditur.

Victoria Norlinghana Ferdinandorum Austriadum.

illo cardine versabatur, atque ex illo apice pendebat magna Imperij moles. Adhuc in Hornio, & Vaimario Suecicarum reliquiarũ veteranis Ductoribus, spirabat Gustauus, nec dum Aquilonaris turbo aduersùs Austros vltimos conatus expromens plane resederat. Adhuc Austriacum dominum iugum detrectabat perfidia, mordebatque frænum furore brutali. Indignati FERDINANDI sub FERDINANDO Pio tantum licere impietati, coacto in vnum Germanarum turmarum, Hispanicarum legionum, & Itali militis robore, inito prælio cùm magnam victoriam, summa constantiæ, fortitudinis, prudentiæ, laude, omnibusq; alijs numeris certatim cumulassent Hispani, Germani, Itali, capto Hornio, Vaimario fugato, & Suecicisq; copijs partim cedentibus, partim cęsis, breuibusq; reliquijs ex tanto milite numeratis, Germaniam ignominiâ liberarunt, periculo religionem, hoste totum orbem Orthodoxum. Ita naufragum ferè Aquilone irruente Imperium, geminis Imperatoribus lucidis, & salutaribus Austriaci Cæli Sideribus seruatum est, ostensumque quid felicitatis ferat Austria Austriæ iuncta, & geminatum FERDINANDORVM AVSTRIADVM Nomen. Nec dies fefellit sanctitatem, faustitatemque victoriæ, quam pollicebatur S. Victori sacer, sanctissimâ deinde, ac faustissimâ relatâ victoriâ. Adeò feliciter semper pugnant, qui Deum Ducem habent, & cælites commilitones. 1639. 8. id. Sept. Aquilonares illi Boreæ filij, non Zethes & Calais, sed Hornius, & Vaimarius Herculeâ tantum manu vinci debebant, & Heroes poscebat hæc victoria non homines. Iam citra fabulam non Iouis, sed Germanici Cæsaris FERDINANDI II. pij, Hispanique Monarchæ PHILIPPI IV. Maximi iussu, geminæ simul iunctæ Aquilæ, post emensum victorijs orbem, non in Parnassio, sed Norlinghano colle consedere fortunatissimis auspicijs, vbique tamen lauro, victoriarum honore, supra omne bicipitis iugi lauretum virescente. Tantum sub Imperatorijs, & Regijs, Austriacis vestris auspicijs, inuictissimi FERDINANDI potuistis, non huius tantùm prælij spectatores, sed auctores, bellatores, pugnæ Apices, & victoriæ. Huc nobiles curas historici conuertite, ad hanc Pharsaliam, ad hoc Actium alite calamo conuolate. Quanta lux vestris annalibus accedet à FERDINANDÆO Nomine! Quanta à te FERDINANDE Auguste qui communicatis cum altero FERDINANDO belli, victoriæque socio, tuis insistente vestigijs, magnis consilijs, inter confertos hostes inuicto pectore, victrice manu, quà sceptro regnatore, quà bellatore gladio ingentem eluctatus victoriam, supra calcata cadauera, triumphalis gloriæ currum egisti. Dicetis rebellionem ad plures saltem annos exarmatam, hæresim domitam, compositum furorem, repressam audaciam, perfidiam debellatam, inuidiam subactam, & alia mille malorùm nomina vno iugo captiua FERDINANDÆO Nomini reuerentiã exhibuisse. Incredibilis virtus supra fidem non erit, si de FERDINANDIS dicatur Austriacis, de quibus prodigia narrari debent non facta. Assurget Norlinghanus collis Capitolino sublimior: non minor erit hic ex FERDINANDÆA victoriã, quam ille ex Romanis triumphis. Attollet læto murmure spectator victoriæ Rhenus, supra Tiberis, gloriam, laureatum toties victorijs Austriacis caput, & adhuc admirabundus

bundus prædicabit sub FERDINANDIS Austriacis victoris exercitus Imperatoribus, constanter ab Hispanis expectatos hostium impetus, exceptos, fractosque, audacter à Germanis occupatos, fusosque, prudenter ab Italis, & fortiter repressos, fugatosque, totamq; FERDINANDÆAM euoluet, quam stupebunt posteri, secula omnia celebrabunt, amplissimam victoriam, postquam Germania imperat Occidenti, & clarissimum cum sole FERDINANDÆVM Nomen feret. Cumulatissima felicitas aliam peperit, quâ Alberti Fridlandij perfidiâ corruente, Germania, quam ruinosa defectio ex suis ferè sedibus conuulserat, post fædatum Suecico sanguine Rhenum manu tua victrice FERDINANDE Auguste firmata stetit, stabitque quousque.

Fridlandij perfidia detecta, & punita.

Altum manebit Austriæ gentis decus
Cum sole & astris, cumque luce Romana.

Mart. in Ep. Flauia.

Auster florum alioquin parens, ac veris arbiter, Imbricitor tamen est aliquando, & fulminator. Imperiosior in Vualdestheinio imperandi libido in summam ignominiam deiecit, & solitario sceleri vindictam attulit theatralem. Frequentes laureæ dementarunt superbum victorem: diadema merebatur, non vt coronaret, sed vt ligaret malè sanum caput, tam enormi actum ambitionis vertigine. Ambijt fasces, securim habuit; neque enim sine securi fasces sunt, & aliquando versâ acie regnatorem feriunt. Purpura etiam addita est, sed quam suo sanguine accenderet. Apud Principes Gratiosi, veluti funambuli in arcto semper versantur, nec nisi cum extremo exitio cadunt. Facile est ad sublimiora pennis non suis volantes, nisi medium virtutis, & gratiæ tuti teneant, ex Dedalis Icaros fieri, si præsertim Deorum more, per machinas se se attollant, non gradiantur vt homines. Isti rerum potentes in Principum aulis, cursum recursumq; diutinum etiam sperare possunt: solstitium felicitatis non nisi in paucis punctis inuenient. Magna scelera, quæ furias ab Orco cum facibus incendiarijs excitant, simul Deum ab alto ad fulmina prouocant. In apparatu flagitij facinus atrox Fridlandij orbis terrarum detestatus est, vindictam cum plausu excepit, gratulatusque est Imperio, causæ Austriacæ cum tot populorum incolumitate coniunctæ, felicitatem, expiatâ vnius victimæ sanguine, multorum cede.

Nunquam Aquilas gens vlla impune lacessit.

Illis de venenatis hostibus, in sublime elatis Serpentibus victoriæ familiares sunt.

Cedant Druse tui, cedant Traiane labores.

Cl. de l. Stil.

Iam te Germanicum supra omnes Cæsareos Heroes, quibus hoc triumphale Nomen gloriosâ nomenclaturâ inditum est, populi vocent, quando illam emensus victricibus Aquilis FERDINANDE Maxime peragrasti, quando illa tua bella, ac victorias lęta suo dorso sustinuit, atque huc, illhucq; transportauit. Iure etiam beneficiorum Germanicę Prouincię tuæ sunt. Quid mirum deinde, si fulminatrix sit in bellis, emula Dei manus in donis? Ad colligendam auram popularem, aurum dissem inandum est. Nemo terrarum omnium Imperio dignior, quàm qui eas victorijs frangit, irrigat liberalitate, magnificentiâ illustrat, beneficentiâ colit.

Quid

Quid aliud expectari poterat deinde ex his, quam amorem tuorum in te ardere, admirationem ipsorũ hostiũ trahi, externorũ plausũ ferri, ac rapi? Qualis felicitas Imperij Occidentis, totiusque Orthodoxi orbis, habere Cæsarem, qui, si fingeretur bearet vota, quę superaret, & sine Xenophontis Cyro, verum Cyrum non mitratum sed coronatum, non Persam sed Germanum Monarcham, spectare regnantem, qui sit spirans honestas, prudentia Imperans, iustitia ardens, fortitudo pugnans, religio triumphans, & in quo paterna Pietas Imperatrix geminum solium collocarit, cor & frontem, vnde & Pius sit, & suspiciatur.

Sed hæc tua sunt Maxime Cæsarum. O te etiam non tuâ tantum, sed Tuorum virtute felicem! Quantum decus tibi accessit ab Austriacis coniugibus clarissimis, ac sanctissimis numerorum omnium Heroinis, Magnâque prole MARIA ANNA Serenissimâ Hispanę Monarchiæ Reginâ, & FERDINANDO IV. inuictissimo Hungariæ, ac Bohemiæ Rege, alijsque Augustissimis liberis! Quantis dotibus nobilitatus est thalamus, quantâ mole firmatum solium, quantis auspicijs occupata Imperij, gloriæque æternitas! Hæc magna posteritas Maximo Parenti immensi gaudij seges, & augustorum amorum flos, ac fructus iucundissimus. Hic tuus FERDINANDVS, quem nominis, Imperijque hæredem tibi cælum destinauit, quique Auroræ nostræ Serenissimæ, splendidos natales Infantis Solis, gemino orbi pollicentis, pulcher, lætusque phosphorus additur, Regiæ Nymphæ Augustus Paranymphus, quantus supra hominum conditionem Heros assurgit! Iam te Maxime Parens, si non meritis, saltem auspicijs ferè æquat. Vestram fidem Hungari! vestram Germani! An non in eius religione Stephanos, innocentiâ Emericos, pietate Ladislaos iam nunc admiramini? An non ex eius fortitudine etiam in hac molliori ætate aliquid maius supra Hunniades expectatis? An non in ipso omnia FERDINANDÆI Nominis prodigia legitis? An non auspicatissimis gaudijs excepistis non Regem tantùm populis imperantem, sed vbique suæ ætatis miracula diuidentem? Sint magna licet Patris vestigia: premit Filius in stadio virtutum, minori quidem pede, sed animo pari, qui vnus in vtroque est. Sit ille Cæsarum Gigas, Colossus auitarum imaginum: totum Patrem Filius effingit in paruo. Quam famæ oratrici non suggeret Imperator, encomiorum thesim? Quæ non dabit historiæ Heros, laudum argumenta? Quem honorem gestorum non conciliabit fastis FERDINANDVS? Aquilæ Austriades suprà communem hanc nostratis aeris regionem nidulantur, Heroibus fætæ non viris. Non agnoscunt sobolem, vt suam, nisi sustinẽdo fulmini par sit, & iam didicerit solem felicitatis spectare oculo irretorto. Ibis inuictissime Rex, quò te terrarum vota, cæli auspicia vocant, ad Apicem rerum, magnumque arbitrium Romani Imperij per tuorum gradus, non solâ augusta nobilitate Duce, sed virtute Comite. Barbarorum Regum est in vna potentiâ, veluti in Pantheo adorare omnium virtutum Numina.

Altera Romanæ longè rectoribus Aulæ — Cl: de 4. Hon. cons.
Conditio: virtute decet, non sanguine niti.

Ita Magnus ille Cæsar Augustum filium Imperij candidatum regijs monitis — Thedos.

Hen.

Aduersus Orientis Othomānum tyrannum votiua de Ferdinando IV. præsagia.

nitis formabat, in eum Herôem, cuius in te auſpicatiſſima initia veneramur. Iam te ex Hiſpaniâ reuertentem orbis terrarum auſpicatur, Heſperum orientis. Proclament te purpuratum ſuum ſolem Auropæ populi, ſimulq; miſeræ ſupra cimmerias tenebras noctis, quam ab Othomannicâ Luna patiuntur, æternum iugum, excutiant. Agnoſcat te ſuum Martem Thracia, ſed innocentem, pacatumque, atque in tuorum triumphorum plauſum orphæos ſuos recinat modos. Venerentur ſuum Herculem Oethæa iuga, non Neſſi incendiaria, & carnifice, ſed Dominâ rerum, Auguſti purpurâ paludatum. Videant Pelios & Oſſa nouum Gigantem, ſed Cælo amicum, atque pro illo coniuratis omnibus potentiæ, felicitatiſque viribus pugnantem. Admurmurent plaudenti ſuſurro, dum victore pede calcabis Mæoticas arenas, Euxina Maria. Romano Imperatori plaudat veteris Troiæ ignobile buſtum, prima Romani nominis Patria. Reddatur Macedoniæ magnus orbis victor: Semiramijs muris, & Perſicis Regnis aliquid primis Monarchis, & Cyro maius: Erigat triumphali Heroi ingentem coloſſum Rhodus: inſerantur in hæreditario, Auſtriacæ domus paleſtino regno victricibus manibus idumeæ palmæ, nouuſque ex veteri, quem inter Gentiles Heroes ſuos Auſtria familia numerat, Bullionius victorijs ſacris inauguretur. Parthus non fictâ, ſed verâ fugâ non iaciat tela, tantùm ſed abijciat Auſtrij Nominis reueritus Maieſtatem. Nouis Bactra ligentur legibus: deprendantur, premanturque Domino pede, Nili fontes inacceſſi. Aureis Tibi vndis Ganges fluat vectigalis, & è toto oriente tributario, gemmeæ grandinis pretioſa tempeſtas, ad tui ſolij, veluti terminale litus ſubſidat.

Virg. 1. Æn.

Hunc tu olim cælo ſpolijs orientis onuſtum
Accipies ſecura.

O Germaniacum plauſu! Amittet accedente Auſtriaco ſole inimica luna nitorem. Auſtrij hi Cæſares hanc tibi magnam auſpicantur molem felicitatis: In hanc ſpem educauit maximus Parens tuus,

Cl. de Hon. conſ.

paruumque triumphis
Inſtruit, & magnis docuit proludere factis.

An non ipſa Norlinghana, aliæque innumeræ paternæ victoriæ, elementa tibi baſilica, ac triumphalia exempla erant, quibus his vocibus tacitè inſtruebaris?

Diſce puer virtutem ex me, verumq; laborem.

Æuum Auſtriacæ domui, & imperio vouetur.

Tu verò Auſtriace Cæſar FERDINANDE gratulare tibi ſereniſſimæ prolis auſpicia. Germinabunt è magna ſtirpe ſuccedanei Heroes. Ibit in ſæcula Regum, Cæſarumque fæcunda poſteritas per faſtos æternitatis glorioſiſſimos, Regibuſque, ac Diuis Cæſaribus videbit

Permixtos Heroas, & ipſa videbitur illis.

Virg. Eccl. 4.

Maiorque maximo ſi fieri poterit Parente Filius imperabit, & Nepos,
Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.

Cum Auguſtâ poſteritate tranſcribentur in æuum purpuræ Sole clariores, ſolia terrarum orbe firmiora, coronæ cælo inuidendæ, ſceptra, quæ Regna ſuſtentent, Monarchæ, Imperatoreſq; maximi, omnium temporum famâ, prædicandi. Iulia imperatrix progenies à C. Iulio Cæſare

orta

orta in sexto successore defecit, si vel numeremus inter homines Neronem, coronatum illud Romani Imperij monstrum: Carolinghorum stirps in occidente, Imperij Germanico gallici fundatrix à Carolo Magno ad Ludouicum IV. pauculos supra sęculũ annos orbi, & Imperio pręfuit. Paleologa familia in oriente à Michaele ad Constantinum vltimum ducentos annos cadētis Imperij infelicia gubernacula tenuit, scythicis turbinibus naufragia perpetua minantibus: Flora Constātinorum prosapia in Nepotibus: Flauia Vespesianorum etiam in filijs suspici desijt. Imperatores ferè omnes, singuli regnarunt: Pauci aut filijs Imperiũ, aut filios Imperio pepererunt: penè nullis auitum Imperiũ fuit. Augusta Austriadum Gens à primis RVDOLPHI Magni Imperatoris natalibus auspicatissimis, triginta annos, & amplius supra quadrigentos, tresdecim Cęsares, & in ijs decẽ nunquam interruptâ serie numerat ad Orbis totius beatitatem, & Nominis Austriaci Orthodoxique (neque enim ista sine piaculo disiunxeris) gloriam ęuiternam. O auream ętatem AVSTRIACAM, iam tot sęcula viuentem! O pretiosiorem ętate sua, AVSTRIACAM Gentem, tot prodigia singulis annis, ne dum sęculis diuidentem! Stabit cum Cęli Zonis, AVSTRIADES, vestra purpurati Cęli candida Zona, lactea Heroum ad Cęlum euntium via, & quousq; illę terris dominabuntur, etiam vestra domina rerum regnabit. Quis verò dubitet de potentiâ omnibus fundatâ virtutibus, nullis quassatâ vitijs, quatuor iam sęculorum robore stabilitâ. Cõiuncta est cum rerum salute, Europę libertate, religionis vitâ, felicitate orbis terrarum, imò cum cælestibus commodis, Deique consilijs, Austriaca causa, Cęlo, terrisque innixa. Hoc Numen ipsum apertissimis miraculis Austriacam rem seruantibus, ac restituentibus tot sęculis contestatur. Viue interim maxime FERDINANDE, qui centesimus vigesimus primus à Principe Cęsarum Iulio numeraris Augusti auream ętatem, annorumque Chiliades è tuis FERDINANDIS euolue.

Austrij Imperij diuturnitas singularis post natũ Imperiũ.

Insigne Austriacæ Gentis.

Accipiat Patris exemplum, tribuatque nepoti
Filius, & captis ne desit Fascibus hæres,
Decurratque Augusta Domus, tradatq; coronam
Mutua posteritas, seruatoque ordine fati,
Austria continuo numeretur Cæsare proles.

Cl. de mall. cōs. Trabeata secures Mallia.

Accedant ad Augustos Imperatricis vitę tuę annos illi, quos ferro victore tuis hostibus eripuisti. Et quando iam in MARIA ANNA, & FERDINANDO Augustissimâ geminâ spe Germaniæ, & Hispaniæ Imperium Germanicum, & Hispanam Moniarchiam cum æternitate coniunxisti, Viuant PHILIPPI Maximæ Hispanæ Monarchæ; FERDINANDI Germanico Imperio, orbis terrarum regna viuant PHILIPPIS, & FERDINANDIS, stetque, ac regnet Augusta Magnorum Austriadum Domus, quoùsque cælum, cui innititur stabit, ac terris dominabitur, Arx Fortitudinis, Clementiæ Ara, Iustitiæ Delubrum, Religionis Propugnaculum, Pietatis Sacrarium, Virtutum omnium triumphalium, & Augustarum æternum Capitolium.

FERDINANDVS III.

Colossus.

FERDINANDO ab Imperij Austriaci Principe XIII.
Soli inter duodecim signa cælestia radianti,
Non Asia fluctuantem in Rhodi Insulæ portu
Supra maris tergum,
Sed Europa erigat supra inconcussum orbem terrarum
Stabilem Colossum.
Gigantem Cæsarum Minor colosso Statua, non decet.
Omnium Maiorum suorum imagines
In se conflauit FERDINANDUS cum expressit,
Unde colossus euasit Ipsis suis Maioribus maior.
Niuea Paros materiam dedit,
Innocentiæ Austriacæ concolorem.
Aliud Cælum magistrum operis ne putes,
Quam cælum ipsum, non ferreum, sed aureum,
Quod Dei solium est, & Angelorum manibus rotatur.
Quot Austrios Cæsares, tot Augustas habet bases,
Unde suscipi ex omni loco debet, non spectari tantùm.
Quis deinde Colossæam in FERDINANDO neget
Manum, quæ mole tanti imperij non fatiscit,
Pectus, quod toti armato Septentrioni obiectum stetit,
Caput orbis terrarum regendi capax?
Ipsæ virtutes FERDINANDÆÆ
Diuinitati in terris proximæ,
Et quæ illum circumstant magna nomina
Potentia, Gloria, Fama, Colossi sunt:
Potentia cælo contermina,
Gloria coæua immortalitati,
Fama mundo æqualis.
Ita maximus FERDINANDUS

Supra

Supra omnem humanum modum
Etiam in imagine Colossus assurgit.
Ex hoc Augusto colosso Heroum, & Heroidum
Non nisi Giganteam sobolem expectes.

SYNOPSIS GENEALOGICA

Augustæ Sobolis FERDINANDI III.

Inuictissimi, & Maximi Imperatoris Austriaci.

INuictissimus, & maximus FERDINANDVS, quem singulari munere Cælum terris concessit, deferensque sceptrum Occidentalis Romani Imperij, ac Dominas rerum habenas, suis suffragijs Cæsarem creauit, Austriadum Diuum Cæs. Augustum stemma felicissimè propagauit ex primis cum MARIA Austriaca lectissima, & pari magnitudini suæ, Heroina nuptijs. Eandem felicitatem votis omnibus adprecamur & auspicamur in secundum Hymenæum Austriacum transcribendam, quem cum altera Austria Augustissima omnium virtutum Heroina LEOPOLDA pijssimi, ac fortissimi LEOPOLDI Filia, FERDINANDI CAROLI, & CAROLI EMMANVELIS Archiducum Austriacorum, ac Tyrolensium Principum gloriosissimorum sorore, celebrauit. Sobolem Imperatoriam Cœlum cum terra paritum diuisit, totam post Nestoreos annos sibi vindicaturum. Coronata virtutum omnium titulis nomina Augustorum Liberorum, sic Serenissimam Imperatricem Gentilitatem deducunt in æuum, & auream ætatem Austriadum sæculorum.

FERDINANDVS IX. inter Austriacos Principes & inter Hungariæ, & Bohemiæ Reges IV.
MARIA ANNA Serenissima Hispaniarum Regina.
PHILIPPVS V.
MAXIMILIANVS V.
LEOPOLDVS VI.
MARIA VIII.

FERDINANDVS IV. serenissimæ Auroræ, quę nostræ prælucet felicitati Phosphorus, & Augustus Regnatricis Nymphæ Paranymphus coniunctis radijs, & auspicijs, vti Germaniam ortu, ita totum Orbem Austriacum suis nuptijs beabit. Viuum exemplum paterni Colossi, & Imperatricis maiestatis, vnus capacissima indole omnes Austrios Cæsares repræsentat, magni huius (ita appello, quia magnos Austriacos Heroes complectitur) libri, compendium. A templo virtutis ad templum honoris gigantæis passibus progressus iam totum sibi illud consecrat.

vitam illi contulit idem,
Imperiumque dies.

Imperio prorsus, ac tractandis hominum fatis nato, factoque ad magna, ad Heroica, & quod sine maxima laude dici non potest, ad Austriaca non tam à virtute Generis, quam à generositate virtutis. Ostendit iam nunc omnium virtutum nominibus Augustus, quid FERDINANDÆVM nomen granditatis in Austria Gente ferat, quasi nunquam ab Heroe FERDINANDVS diuidatur. A pietatis studijs, & fortitudinis Imperia auspicatus, iam prima in Dei, ac suæ Gentis hostes, fulmina destinat. Nihil vero Austriacis Aquilis formidabilius, vbi aduersus cœli hostes fulminatrices sunt. Omnia etiam cum summa æquitate animi, corporisque bona ex æquo fortitus, iam nunc non magis formidandus externis suspicitur, quam blandus suis. FERDINANDÆO imbutus genio iam nunc didicit à paterna dextera clauum Imperij moderari, summaque reuerentia in Augusto Parente, qui ex Typo Prototy-

pus, & Colossus Maiorum suorum est, & Minorum Idea, prænsare, & colere omne magisterium virtutis, atque illum, qui ex contrarijs belli, pacisque ornamentis redditur, concentus optimus. Iam nunc flore ipso adolescentiæ summæ pietati, ac fortitudini consecrato, probat lectissimus Principum flos, in Austriaca Domo neminem non magnum nasci, neminem non maximum fieri? Iam virtutum titulis maturus est illi felicitati, cui videtur adolescere iure ætatis. Ita fortis est manus, vt cum Hungarico, & Bohemico sceptro possit Romanæ Potentiæ, imò & terrarum omnium pondus sustinere. Intelligit iam hic Austriacus Alexander magnitudinem suam, nec nisi magna, atque Heroica meditatur. Quid deinde cum PHILIPPÆIS consilijs erudiet fulmineam manum, & reget? An non auspicari liceat pugnas Appellæo penicillo pingendas, & in Mæonio cothurno decantandas? An non perficiet, vt ipso superstite Austrij Heroes nunquam non triumphent. An non

Imperium terris Animos æquabit Olympo?

Certè vt alia omittam ipsa pulcherima species, oculo iudice, infra Augustum non irradiat, canique potest cum Vate Panegyrista.

Claud. de Hon. & de 4. Hon. cons.

Fronte quis æqualis, quem sic Romana decebunt
Culmina?
Et cum eodem responderi
Æqualis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus
Verteret, & Patri non degeneraret Achilli.

Quantum instar in magno Principe Maiorum Austriadum est? Quantum paternæ fortitudinis: quantum Auitæ pietatis? Quantum omnium Augustarum virtutum? Dignum animo corpus Augusta forma probat: dignum corpore animum Austriaca Pietas: Dignum FERDINANDI nomine Heroem omnis Heroicarum virtutū numerus. Iam enim hominibus præesse, Heroica agere, diuina procurare, AVGVSTVM FERDINANDÆVM, & AVSTRIACVM est. Quam non otiosa serenitas, cœli decus, migrauit in titulum, eius ore iucundissimo, Genioque clementissimo Cœli faciem, ingeniumque, cum maximè fudum, ac beneficum arridet, exhibente? Quantus sub Hesperio Cœlo Hesperus radiabit. Hercules adolescet, occuretque ex Hispania rediens Germanico Atlanti aduersus Septemtrionalium terrarum, mariumq; Orientalium monstra,

Claud. de 4. Stil. C.

Boreæ vastator & Euri?

Austriades Aquilæ nullas Harpyias timent. Interea dum non vulgaris fama, sed Clio Heroicam tibi tubam destinat, hic etiam per gradus tuorum legeris basilicis, hisce Auitarum Imaginum characteribus exaratus.

Vig. ec. 4.

Et simul Heroum laudes, & facta Parentis
Iam legere, & quæ sit poteris cognoscere virtus.

PHILIPPVS & MAXIMILIANVS Augusti flores in infantia è viuis sublati in lætiori solo sub clementiori cœlo, regnantes vernant. Imò illis Cœlum pro solo, & folio est. Adolete flores innocentes pueri, innuptæque puellæ, & manibus date lilia plenis. Austriadum Aquilarum nidus Cœlum est. Optima fata mortalibus Principes Planetæ spondent.

Claud.

Cum celsa tenent, summoque feruntur
Cardine, nec radios humili statione recondunt.

Illi etiam qui supra firmamentum in Cœlo regnant Austrij Principes, firmamentum Augustæ Familiæ sunt.

MARIA duplici titulo Cæsarea, & quia ex Augusta, & quia ex cæsa Matre prodijt vix lustralibus aquis immersa, portum tenuit, & præeuntem, triumphali omnium virtutum curru ad Cœlum, Matrem innocentiæ alis sequuta est. Hasce non imbelles, sed innocentes progenerant etiam cum laude Austriades Aquilæ Columbas. Ne sibi inuiderent Augustam FERDINANDI Cæsaris maximi sobolem, ex æquo Cœlum, ac terra diuiserunt.

LEOPOLDVS, cui Cœlo nomenclatore inditum sanctissimum, ac felicissimum in Austria Gente nomen crediderim, dulcissimus Patris Cæsaris amor, pares Generi, & indoli spes alit, dum ad magna alitur, & crescit, suæ sibi grandæuæ virtutis a prima ætate faustissimus Auspex, & annos vrget maturitate morum, constantiaque Pietatis. Mirum in quam suaues fructus erudiatur, in quam vberem vernet Autum-

num,

num. hic Austriæ Arboris, Florentissimi nimirum Stemmatis ex Augusto Austriaco Thalamo, gemmascens Flosculus! Nemo ortu ipso non dicit victorijs consecratū: nemo teneras manus non grauibus palmis, paruum caput non magnis laureis destinat. Ita Austrios Principes auctoratos triumphis mascula Matrum, & Heroica Patrum Virtus edit in lucem. Gratulare tibi Austria tantam vnius coniugij sobolē, & ex fecundo Hymenæo Austriaco, geminatam auspicare. Habes citra fabulas, quod linguax Græcia fabulari fastu gloriosè de suo Ioue decantabat, supra Helenam, Castorem, & Pollucem. MARIAM ANNAM, FERDINANDVM, & LEOPOLDVM. Augusta premit Regius Puer, PATRIS, PATRVI, FRATRISQVE vestigia, & magnum LEOPOLDI nomen auitis, spirantibusque exemplis in Austrio stemmate gloriosissimum, totum auspicijs suis implet.

Quantus in ore Pater radiat, quam grata pudoris
Maiestas! — Cl. de 4. Hon. cons.

Macte puer Auguste: Austrij isti Heroes, quos tibi tamquam elementa basilica legendos exhibeo — Claud.

Hos tibi virtutum stimulos, & semina laudum,
Hæc exempla dedere,

Quæ tuis auspicijs occupas, & orbis terrarum à te expectat.

MARIA ANNA non Heroina tantum, sed Heroidum flos, Reginarum maxima, sæculi nostri decus, orbis gemini felicitas, & adnectens Romanum Imperium, Catholico orbi Vnio, omnibus ferè dotata terris, totoque mari Sponsa, vtriusque nunc est Austriæ Domus IMPERATRICIS, & REGNATRICIS INCREMENTVM. Suis natalibus Septentrionem, Nuptijs occidentem, imò Orientem, & Austrum, totumque Austriacum orbem sub vtroque Cæli axe, solisque cursu latè explicatum, magna faustitate, & ingentibus Auspicijs condecorat, Austriadum virtutum dote Coniugem Monarcham Maximum ditat, beneficentiæ, et Clementiæ fama populos rapit, Pietatis exemplis famam consecrat, et post emensas alis præpetibus terras cælo attollit. Hac Heroidum gemma vtriusque Austriæ Domus fundamenta firmantur, in quam, geminam solis Orientis, et Occidentis domum complexa Hispanorum Monarcharum Magna inclyta Domus, inclinata recumbit. Hæc Caduceatrix orbis terrarum, Austriaco Hymenæo facem simul auspicatissimam, et pacem accendente. Hæc publica spes, ac felicitas laxatis habenis gaudiorum à populis stupentibus simul, et plaudentibus suspicitur. Ipsum MARIÆ ANNÆ Magnum nomen Imperiorum, et Gratiarum vox magnifica, et amabilis, Auspicium, et Elogium maximum est. Et certè nihil sanctius inter humana, nihil maius terra, cælumque veneratur, ac celebrat. Extra orbem est, cui hoc Augustum nomen non irradiat, quod iam solem vtrumque induit, et latere neminem potest. Fauete superi, et vni vnius MARIÆ ANNÆ

Omnes thalamo conferte triumphos. — Cl. de n. Hon. & Mar.

Mortales plaudite dum Regnat Austriacus non solum, idem per Zephyri metas Hymenæus, et Euri, sed Boreæ et Austri, ac Septentrionis Imperium Austrio orbi iterum iungit. Tu verò MARIA ANNA REGINARVM MAXIMA redde matrem Hispaniæ, quæ tibi matrem dedit, quando Germania Reginam reddit, quæ Imperatricem acceperat. Vos interim MAGNI AVSTRIADÆ (neque enim aut maiori nomine, aut cognomento nobiliori appellare vos possum) tanti Austriaci coniugij MARIÆ ANNÆ Augustæ cum PHILIPPO IV. HISPANO MONARCHA MAXIMO Auspicijs, terque quaterque beati, VIVITE, REGNATE, VINCITE, TRIVMPHATE, et quod solum ad cumulum beatitatis magnæ dominationi accedere potest, felicitatem cum vestris Imperijs, ac triumphis, æternitatem cum felicitate coniungite. — Claud.

Habet

HAbes MARIA ANNA SERENISSIMA HISPANÆ MONARCHIÆ REGINA, ET REGINARVM MAXIMA *Cæsares tuos in auspicium dotale* INFANTIS MONARCHÆ, *totiusq; Serenissimæ Posteritatis exhibitos. Non erat mihi speculum nitidius, illustriusq; & nobilioribus gemmis illuminatum, quod Regnatrici Sponsæ, in amantissimæ fidei, ac puræ tributum offerrem, quàm hoc, in quo conceptos omnium votis, & auspicijs* INFANTES MONARCHAS *posses,*

Virg. Aduersos legere, & venientûm discere vultus,

Et iam nunc spectare coronatam omnibus sæculis Regiam Serenissimam Posteritatem, & decora alta Tuorum. Attolles manibus in hoc enchiridio supra diuinum illum clypeum

Virg. Famamque, & fata Nepotum.

Addidi etiam totius Austriaci Stemmatis Gentiles Heroides, vt Orbis terrarum veluti in breui tabula, Te Helenam miraretur, sed pudicissimam, non ex Agrigentinarum Virginum nobili Zeuxidis penicillo, sed ignobili calamo ex Austriadum Heroinarum forma, & omnigeno decore, conflatam. In hoc Diuorum tuorum Cæsarum Pantheo adorabit Orbis terrarum, omnium virtutum nomina, quæ Tu colis, & in Te coluntur. Spectabunt cum admiratione populi, ac stupentibus oculis in huius libelli scriptili tela, tuum o Pallas non Attica, sed AVSTRIA *belli & pacis moderatrix, literatorum, bellatorumque Patrona, peplum, tenuissimo quidem stylo, historiographa nimirum magnorum gestorum acu exaratum, totamque Palladem in peplo legent. Alij tuorum immortalium Cæsarum simulacris metalla animabunt, & lapides, vt geminata immortalitate in imagine viuant, adhuc regnent in populis, triumphent de inuidia temporum, de memoriæ fuga, formæque inconstantia: alij in theatris acclamatoribus, Heroes cum plausu dabunt: victores celebrabunt, triumphalibus arcubus, figuratis veluti, ac literatis oratoribus, sine voce eloquentibus: bellatores columnis historicis insculpent: Principes cum maiestate obeliscis tamquam æter-*

nis

nis folijs imponent, cæloque efferent: rerum Dominos pyramidibus sepulchralibus supponent, vt magno pondere subiecta Regna premant. Sed & metalla liquantur, & atteruntur marmora, & soluuntur arcus, vbi semel oculo placuerunt, & franguntur columnæ, & ruunt obelisci, & silent theatra post ephemeros plausus, & pyramides ipsæ sepulchrales se ipsas sepeliunt, & omnia punctis, lineisq; vt ipsi characteres historici literarum terminantur. Hi etiam suos arcus habent, obeliscos, columellas, ac pyramides, robustius fortasse metallis, ac lapidibus, constantiusque cum æuo luctantes. Nec paruitas pretium detrahit, cùm nec dedignetur totum cælum æmula, & quasi victrice naturæ arte, cum sole Principe, omniq; stellarum populo palmari sphærula a priscis, nouisque Archimedibus concludi, atq; habere extra cælum in terris epicyclos breuiores. Parcitur oculo, si immensa terrarum, mariumque spatia in pupilla, vna literula non maiori, in compendio legit. Achilles Austriacos Homerico plectro dignos alij magnis annalium voluminibus explicent, ego nihil me detrahere censebo Imperatrici, ac Regnatrici Genti, si omnes illius Heroes, ac totam Iliadem Augustæ familiæ non decem tantùm, sed quadringentorum annorum spatio, triumphalis, inuolucro nuceo huius pugillaris epitomes concludam. Augustæ tuorũ Cæsarum frontes lauro nonminus, quàm auro radiantes, tutæ inter fulmina, quid pati possunt a stylo scriptore? Austriaca magnitudo se sola maiestate sua explicat: omnis alius mensura modus, eam si imminui posset, contraheret. Austriadũ Heroum causa in elingui etiã oratore triumphalis est; ita de suo semper cum victoria perorat. Hæc Princeps illorum laus, quòd citra iniuriam laudari non possunt, iacente semper longè infra meritum commendatione. In hanc calamitatem incident omnes historici calami. Fateor igitur me sæpius repræhendisse meam ipsam manum, quæ armata breui, fragili, ac ferè implumi calamo ad apices rerum collineare ausa fuerit, & ad humana fastigia, quantum in terris fas est, diuinis contermina, consilio præsertim subitario, ac ferè cæco magni operis, sublimisq; magistro, laudes plebeias dictante inter

ma-

magnificentissimas totius orbis legationes. Sed re vera debitum hoc fuit, non consilium, detrahitq; infamiam omni temeritati necessitatis imperium. Neque hæ meditatæ laudes, sed extemporaneæ acclamationes sunt, quæ non placent, nisi cùm Charitum more nudæ, nullum habent fingendi modum, nec vllum sapiunt, licet speciosum, artis mendacium. Grandia gaudia nullis tenentur legibus. Principes sicuti sublimitate potentiæ, ita imitatione patientiæ ad Deum accedunt: nihil reijciunt, quod cum veneratione exhibeatur, & victimas, quæ illis mactantur, ab integritate extorum, & innocentia probant, non a frontibus coronatis. Ita Austriacæ clementiæ litatur. Imò accessit operi laus, quod famæ impendium minabatur, videbaturque criminari prudentiam. Ipsum attigisse Austriacum non plus vltra *aliquid Herculeum est. Paruo operi, & historiæ, alioquin breui morituræ, mutuatus sum magnitudinem & immortalitatem ab argumento Austriadum Heroum, & Heroidum, qui cùm toti Tui sint MARIA ANNA REGINARUM MAXIMA, imò Tu ipsa, in qua omnes irradiant, Tibi, atque orbi terrarum non placere non possunt, etiam cùm à me exhibentur. Excipe igitur ijs serenissimis oculis, quibus populos beas, & quod de Te, ac Tuis dicitur, & quod tacetur. Illud vectigalis fidei obsequium pendit: hoc vis admirationis venerabundo stupore, suspendit.*

LECTORI.

LEges Amice Lector pag. 10. coralla, 11. errecta, 55. afines 72. sapillis, & versantes: 111. Agusti 146. Mossouia, & non solùm prudens animaduertes legi debere, coralia, erecta, affines, lapillis, versante, Augusti, Massouia. sed æquus, & bonus hæc, aliaque errata æqui, boniq; facies, præsertim in opere subitario, ac tumultuario, & in quo AVSTRIADVM CÆSARVM Soles, circumerrantes errorum maculas, dum illuminant, eluunt.

MEDIOLANI, MDCXLIX.

Ex Typographia Ludouici Montiæ ad Plateam Mercatorum, apud Antonium Petrarcam prostant.

Superiorum permissu, & Priuilegio.